RAZ.




I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
A
59
NAPOLI

XLII
a
59


XLI a 59



LEMNISCUS

HISTORIARUM,

Narrationum, Fabularum, ex Cicerone, Aulo Gellio, & aliis probatis auctoribus collectus.







HARDERVICI,
Typis EGBERTI ARNOLDI
Anno 1645.



NOBILI ET HONESTO Iuveni, HENNINGO MASSOVIO S, P, D.

LIbellum hunc ad te mitto, *MASSOVI* nobilissime, testem amoris erga te mei, & singularis de virtutibus tuis judicii pignus. Historiæ quædam sunt & Narratiunculæ, ex variis auctoribus collectæ, & in eam formam aptatæ, ut commodè circumferri possint; quæ non tantum Latinę linguæ usum, copiam & varietatem (ideo diverso quædam charactere sive stilo expressæ) commonstrant; sed & omnium virtutum perfectissima exempla & præcepta saluberrima suppeditant; quibus

quibus & oratio & vita excolatur, & conformetur. Ejus lectionem quemadmodum utilem fore polliceri ausim, ita præscriptionem nominis tui non ingratam tibi futuram spero, imò confido. Habes tu quidem, præter multos alios, avunculum, singulari prudentia, eruditione & sapientia virum, D. *RAMELIUM* (quem honoris caussa nomino) serenissimũ Daniæ regis Cancellarium, cujus te vel solius exemplum & ad virtutis & litterarum cultum toto animo complectendum & cum rei militaris studio conjungendum excitare possit, sed & hanc nostram veluti acclamationem & cohortationem pondus aliquod apud te habituram existimavi. Vale, Nobilissime *MASSOVI*, meque quod facis, amantem tui ama. Delphis;

Hiſtoriam facile eſt legere, ac pernoſcere lectam,
Scribere at Hiſtoriam, non itidem facile.
Qui mihi non credit, faciat licet ipſe periclum,
Mox fuerit ſtudiis æquior ille meis.

In-

A.

Rufo

FINIS.



LEMNISCI HISTORIARVM, NARRATIonum, Fabularum, &c. ex Cicerone & aliis auctoribus collecti.

Liber Primus.

Bias.

BIas, cùm patriã ejus Prienem hostis cepisset, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secũ asportarent, cùm esset admonitus à quodam, ut idem ipse faceret; Ego verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ, ne sua quidem putavit, quæ nos etiam appellamus bona.

Lacon.

MEmoriæ proditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis na-

ſtu veniſſet, magno conſeſſu, locum ei nuſquam datum à ſuis civibus: cum autem ad Lacedæmonios acceſſiſſet, qui legati cum eſſent, certo in loco conſederant, conſurrexiſſe omnes, & ſenem ſeſſum recepiſſe: quibus cùm à cuncto conſeſſu plauſus eſſet multiplex datus, dixiſſe ex iis quendam: Athenienſes ſcire quæ recta eſſent, ſed facere nolle.

Hercynia ſylva.

IN Hercynia ſylva multa genera ferarū naſci conſtat, quæ reliquis in locis non videntur. Eſt bos cervi figura: cujus à media fronte inter aures unum cornu exſiſtit excelſius, magiſque directum his, quæ nobis nota ſunt, cornibus; ab ejus ſummo ſicut palmæ, rami quàm latè diffunduntur. Eadem eſt feminæ mariſque natura, eadē forma magnitudoque cornuum.

Sunt item quæ appellantur Alces. Harū eſt conſimilis capris figura, & varietas pellium, ſed magnitudine paulò antecedunt; mutilæque ſunt cornibus, & crura ſine articulis nodiſque habent, neque quietis cauſa procumbunt, neque, ſi quo afflictæ caſu conciderunt, erigere ſeſe, aut ſublevare poſſunt. His ſunt arbores pro cubilibus: ad eas ſe applicant, atque ita, paulùm

modò

modò reclinatæ, quietem capiunt: quarũ ex vestigiis cùm est animadversum à venatoribus, quò se recipere consueverint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut accidunt arbores tantùm, ut summa species earum stantium relinquatur. Huc cum se ex consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque unà ipsæ concidunt.

Tertium est genus eorum, qui Vri appellantur. ii sunt magnitudine paulò infra Elephantes; specie & colore & figura tauri; magna vis est eorum & magna velocitas, neque homini, neque feræ, quam conspexerint, parcunt. Hos studiosè foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent, & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicũ cornibus, quæ sunt testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, & mansuefieri, ne parvuli quidẽ excepti possunt. Amplitudo cornuum & figura & species multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita ab labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

Cannius Pythius.

Cannius eques Rom. homo nec infacetus & ſatis litteratus, cum ſe Syracuſas otiandi cauſa, non negotiandi, ut ipſe dicere ſolebat, contuliſſet, dictitabat ſe hortulos aliquos velle emere, quò invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. Quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, venales ſe quidem hortos non habere, ſed licere, uti Cannio, ſi vellet, ut ſuis: & ſimul ad cœnam invitavit in poſterum diem. Cum ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius, qui eſſet apud omnes homines gratioſus piſcatores ad ſe convocavit, & ab iis petivit, ut ante ſuos hortulos poſtera die piſcarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam tempori venit Cannius, opipare paratū erat convivium, cymbarū ante hortulos multitudo, pro ſe quiſq; quod ceperat, afferebat ante pedes Pythii piſces abjiciebantur. Tum Cannius, quæſo quid eſt, ô Pythi! tantumne piſciū? tantumne cybarum? & ille. Quid mirum? inquit: hoc loco eſt Syracuſis quidquid eſt piſcium: Hic aquatio: hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, contendit à Pythio ut venderet

gravatè

gravatè ille primò, quid multa? impetrat: emit homo cupidus,& locuples tanti,quãti Pythius voluit,& emit instructos:nomina facit : negotium conficit. invitat Cannius postera die familiares suos: venit ipse maturè ; scalmum nullum videt: quœrit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quòd eos nullos videret. Nullæ,quod sciam, inquit ille, sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari Cannius. sed quid faceret ? nondum enim lex prolata de dolo malo.

Athenienses.

ATheniensès cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque ut urbe relicta, conjugibus & liberis Trœcene depositis,naves conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent.Cyrsilum quendam suadentem,ut in urbe manerent,Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt.

Athenienses.

THemistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium Reip. salutare, sed id sciri opus non esse, postulavit, ut aliquem

liquem populus daret, quicum communicaret, datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset, clam incendi posse: quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audivisset, in concionem magna exspectatione venit, dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putarunt, totamque eam rem, quam ne audiverant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

Sophocles.

Sophocles, cum ex æde Herculis patera aurea gravis surrepta esset, vidit in somnis ipsum Herculem dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Vbi idem sæpius: ascendit in Areopagum, detulit rem. Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui à Sophocle erat nominatus, is quæstione adhibita confessus est, pateramque retulit.

Thales Milesius.

Thales Milesius, ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque etiam Philoso-

losophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere cepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. Animadverterat quadam scientia, olearum ubertatem fore.

Idem paulo fusius.

THales Milesius, cum à propinquis objurgaretur, quod omne tempus in sapientiæ studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia, nulli usui esset: Vultis, inquit, ostendam vobis, posse hominem huic studio deditum divitem fieri, & hanc esse, si quis velit, ad quæstum ac compendium vel maxime compendiariam viam; Cum illi se velle dixissent, Homo qui ex astrorum scientia magnam eo anno olearum ubertatem præviderat fore, multò ante, exiguo pretio, cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum ac Milesiorum præla ac trapeta conduxit: quæ cum postea suo tempore, quanti voluit elocasset, magnamque ex eo vim pecuniæ collegisset, ostendit Philosophos non tam rem facere non posse, quàm majoribus ac præstantibus cogitationibus occupatos, de eâ faciendâ non laborare.

T. Pom-

T. Pomponius Atticus.

GLoriatus est Atticus in funere matris suæ, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quã propè ætate æqualẽ habebat. Quod est signum aut nullam unquã inter eos querimoniam, intercessisse, aut hunc ea in suos fuisse indulgentia, ut quos amare deberet irasci eis nefas duceret.

Diogenes Cynicus.

DIogenes projici se jussit inhumatum: tũ amici; Volucribusne & feris? Minime vero, inquit, sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Quî poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?

Damon & Pythias.

DAmonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinasset, & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum caussa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi, ut si ille non revertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se in amicitiam tertium asscriberent.

Epami-

Epaminondas

EPaminondas Thebanorum dux cum vicisset Lacedæmonios apud Mantineam, simulque ipse gravi vulnere exanimari videret se ut primum despexit, quæsivit salvusne esset clypeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes. cumque id quoque ut cupiebat audivisset evelli jussit eam, qua transfixus hastam. Ita multo sanguine profuso in lætitia & victoria mortuus est.

Lacon.

SPartana gens fuit fortis dum Lycurgi leges vigebant: è quibus unus, cum Persa in colloquio dixisset glorians, Solem præ jaculorum multitudine & sagittarum non videbitis: In umbra igitur, inquit, pugnabimus.

Lacæna.

LAcæna cùm filium in prælium misisset & interfectum audisset: Idcirco, inquit, genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.

Nasica.

NAsica cum ad Ennium venisset eique ab ostio quærenti Ennium ancilla dixisset,

xiſſet, domi non eſſe: Naſica ſenſit illam Domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis pôſt diebus cum ad Naſicam veniſſet Ennius, & cum à janua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. tum Ennius, Quid? Ego non agnoſco, inquit, vocem tuam: Hic Naſica, homo es impudẽs. Ego cum te quęrerem, ancillæ tuę credidi te domi non eſſe; tu mihi non credis ipſi.

Themiſtocles.

APud Græcos fertur incredibili quadam magnitudine conſilii atque ingenii Athenienſis ille fuiſſe Themiſtocles: ad quem quidam doctus homo atque in primis eruditus acceſſiſſe dicitur, eique artem memoriæ, quæ tum primum proferbatur, pollicitum eſſe ſe traditurum: cũ ille quæſiſſet, quidnam illa ars efficere poſſet, dixiſſe illum doctorem, ut omnia meminiſſet: & ei Themiſtoclem reſpondiſſe, gratius ſibi illum facturum, ſi ſe obliviſci quæ vellet, quam ſi meminiſſe docuiſſet.

Demoſthenes.

IN Athenienſi Demoſthene tantum ſtudium fuiſſe, tantuſque labor dicitur, ut primum impedimenta naturæ diligentia induſtriaque ſuperavit; cumque ita balbus eſſet, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primã

literam

literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Deinde cum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est consecutus, ut una continuati one verborum (id quod ejus scripta declarant) binæ ei contentiones vocis & remissiones continerentur: Quin etiam (ut memoriæ proditum est) conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat; neque id consistens in loco, sed inambulans, atque ascensu ingrediens arduo.

Socrates.

SOcrates cum rogaretur, cujatem se esse diceret; Mundanū, inquit. Totius enim se mundi incolam & civem arbitrabatur.

Curius.

CVrio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt: non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum imperare.

Anaxagoras.

ANaxagoras cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accedisset, referri

ferri. Nihil necesse est, inquit: undique enim ad inferos tantumdem est viæ.

Idem.

ANaxagoras nuntiata morte filii dixit: Sciebam me genuisse mortalem.

Demosthenes.

DEmosthenes se dolere ajebat, si quando opificũ ãte lucana victus esset industria.

Socrates.

SOcrates, cum esset ex eo quæsitum, Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatissimus habebatur, nonne beatum putaret? Haud scio, inquit: nunquam enim cum eo locutus sum. An tu aliter id scire non potes? Nullo modo. Tunc de Persarum quidem Rege magno potes dicere, beatusne sit? An ego possum, cùm ego ignorem quam sit doctus, quàm sit bonus? Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? Ita prorsus existimo: bonos beatos, improbos miseros. Miser ergo Archelaus? certè, si injustus

Zeuxis.

CRotoniatæ quondam, cum florerent omnibus copiis, & in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Iunonis,

Iunonis,quod religiosissimè colebāt, egregijs picturis locupletare voluerunt. Itaque Eracleotem Zeuxim, qui tū longè ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & cæteras complures tabulas pinxit,quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit, & ut excellentē muliebris formæ pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenæ se pingere simulacrū velle dixit. Quod Crotoniatæ qui cum in muliebri corpore pingendo plurimùm alijs præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim eū si quo in genere plurimum posset in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit; nam Zeuxis illicò quæsivit ab his quasnam virgines formosas haberent, Illi autem statim hominem deduxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna præditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multo omnibus corporum viribus & dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas,& corpora magno.

hic opere miraretur, Horum, inquiunt illi, sorores sunt aqud nos virgines, quare qua similæ dignitate potes ex his suspicari. Præbere igitur mihi quæso, inquit, ex istis verginibus formosissimas, dum pingo id quod pollicitus sū vobis ut mutu in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur; Tunc Crotoniatæ publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt, & pictori quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi Poetæ memoriæ tradiderunt, quo ejus judicio essent probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit omnia quæ quæreret ad venustaté, uno in corpore se repetire posse: ideo quod nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit, Itaque tanquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alij commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur.

Attilius Regulus.

PRimo Punico bello Regulus captus à Pænis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum primum ut venit, captivos reddendos

dos in Senatu non censuit. deinde cum retineretur à propinquis & amicis ad supplicium redire maluit, quàm fidem datam hosti fallere. Secundo autem Punico bello post Cannensé pugnam, quos decem Annibal Romam astrictos misit jure,urando, se redituros esse, si de redimendis ijs qui capti erant impetrassent eos omnes Censores, quo ad quisque eorum vixit qui pejerasient, in ærarijs reliquerunt, nec minus illum, qui juris jurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Annibalis permissu exisset è castris, rediјt paulò pòst, quòd se oblitum nescio quid diceret, deinde egressus è castris, jurejurando se solutum putabat & erat verbis, te non erat. Semper enim in fide nō quid dixeris, sed quid senseris cogitandum.

Themistocles.

THemistocles, cum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minùs probato diviti collocaret filiam; Ego verò, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quàm pecuniam, quæ viro.

Aratus Sycionius.

ARatus Sycionius, cum ejus civitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur

 pro-

profectusArgis Sycionem clandestino introitu urbe est potitus cumque tyrannum Nicoclẽ improviso oppressisset, sexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, Remque pub. suo adventu liberavit. Sed cum magnam animadverteret inbonis & possessionibus difficultatẽ, quod & eos, quos ipse restituerat, quorũ bona alij possederãt, egere iniquissimũ arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spacio multa hereditatib. multa emtionibus detinebantur sine injuria, judicavit, neque illis adimi, neque his non satis fieri quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rẽ constituendam pecunia, Alexandriã seproficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum jussit esse, isque celeriter ad Ptolomæum suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam; qui cum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset, à Rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur: quam cumin Sycionem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit, & eorum qui aliena tenebant & eorum

orum qui sua amiserant: perfecitque æstimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, uti pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent alijs, ut commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ita perfectum est ut omnes constitutâ concordiâ sine querelâ discederent.

Duo quidam.

IN itinere quidã proficiscentem ad mercatum quemdam & secum aliquantum nummorum ferentem est comitatus, cum hoc, ut ferè fit, in via sermonem contulit, ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent Quare cum in quandam tabernam divertissent, simul cenam, & in eodem loco somnũ capere voluerunt cenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, in alio maleficio deprehẽsus esset) cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animadvertisset, noctu postquam illos arctiùs, ut fit, jam ex lassitudine dormire sensit, accessit, & alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium prope appositum è vagina eduxit, & illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse sese in lectum

ſuum recipit. Ille autem, cujus gladio occiſio erat facta, multo ante lucem ſurrexit, comitem illum ſuum inclamavit ſemel & ſæpius, illum ſomno impeditum non reſpondere exiſtimavit, ipſe gladium & cetera, quæ ſecum attulerat ſuſtulit, ſolus profectus eſt. Caupo non multo pòſt conclamavit hominem eſſe occiſum, & cum quibuſdam diverſoribus illum qui ante exierat conſequitur, in itinere hominem comprehendit, gladium ejus è vagina educit, repetit cruentum, homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit.

Diogenes Cynicus

DIogenes Cynicus Alexandro roganti ut diceret, ſiquid ſibi opus eſſet; Nunc quidem paululum, inquit, à ſole ut abſis effecerat videlicet apricanti.

Arcades duo.

CVm duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram veniſſent, alter ad cauponem divertit, ad hoſpitem alter; qui ut cenati quieſcebant, concubia nocte viſus eſt in ſomnis ei qui erat in hoſpitio, ille alter orare ut ſubveniret quod ſibi à caupone interitus pararetur. is primò perterritus ſomnio ſurrexit; deinde

cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut quoniã sibi vivo non subvenisset mortem suam ne inultam pateretur, se interfectum in plaustrum à caupone esse conjectũ, & supra stercus injectum, petere ut mane ad portam adsit priusquam plaustrum ex oppido exeat. Hoc verò somnio ille commotus mane bubulco præstò ad portam fuit, quærit ex eo quid sit plaustro. Ille perterritus fugit, mortuus erutus est, caupo re patefacta pœnas dedit.

Hannibal.

REx Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti pugnare placeret, negabat se audere quod exta prohiberent, An tu, inquit, carunculæ vitulinæ mavis, quàm imperatori veteri credere?

Dionysius.

DIonysius, cùm in fanum venisset Iovis Olympij, aureum ei detraxit amiculũ grandi pondere, quo Iovem ornarat ex manubijs Carthaginensiũ tyrannus Gelo, atque in eo etiam cavillatus est, æstate grave esse aureum amiculum, hyeme frigidum, eique laneum injecit pallium,

cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Æsculapio barbam auream demi jussit, neque enim convenire, barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas ergenteas de omnibus delubris jussit auferri; in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset BONORUM DEORUM, ut se eorum bonitate velle dicebat Idem victoriolas aureas & pateras coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque se accipere, nō auferre dicebat. Esse enim stultitiam à quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundemque ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse, exactaq; pecunia edixisse, ut quod quisque è sacris haberet. id ante diem certam in suum quodque fanum referret. Ita ad impietatem in Deos, in homines adjunxit injuriam.

Simonidos.

DIcunt cum cenerat in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque in carmen quod in eum scripsisset, in quo multa

ta ornandi causa Poëtarum more in Castorem & Pollucem scripta fuissent, nimis illum sordidè Simonidi dixisse, se dimidium ejus ei quod pactus esset, pro illo carmine daturum, reliquũ à socijs Tyndarilis, quod æquè laudasset peteret, si ei videretur. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret, juvenes stare ante januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem: Hoc interim specio conclave illud in quo epularetur Scopas, concidisse quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset de monstrator unius cujusque sepelrendi fuisse.

Fabius Maximus.

CVm Tarento amisso arcem tamen Salinator retinuisset, multaq; ex ea prœlia præclara fecisset, cũ aliquot post annos Maximus id oppidum recipisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset opera sua se Tarentum recipisse; Quidni, inquit, meminerim? nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses,

Hannibal.

CVm Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet, exſul proq; eo quod ejus nomē eat magna apud omnes gloria, invitatus eſset ab hoſpitibus ſuis, ut Peripateticum Phormionem, ſi vellet, audiret: cumque is ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquod horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cum ceteri, qui illum audierant, vehementer eſsent delectati, querebant ab Hannibale, quidnam ille ipſe de iſto Philoſopho judicaret: Hic Pœnus non optime Græcè, ſed tamen liberè reſpondiſſe fertur. Multos ſe diliros ſenes ſæpè vidiſſe, ſed qui magis quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Neque, mehercule, injuria. quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quàm Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaſſet. Græcum hominem, qui nunquam hoſtē, nunquam caſtra vidiſſet nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigiſset. præcepta de re militari dare?

Æſchi-

Æſchines.

ÆSchines cum propter ignominiam judicij ceſſiſſet Athenis & ſe Rhodum contuliſſet, rogatus à Rhodijs legiſſe fertur orationem illam egregiam quam in Cteſiphonem contra Demoſthenem dixerat, qua perlecta petitum eſt ab eo poſtridie, ut legeret illam etiam, quæ erat cōtra à Demoſthene pro Cteſiphone edita quam cùm ſuaviſsima voce & maxima legiſset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, ſi audiſsetis ipſum. Ex quo ſignificavit, quantum eſset in actione, qui orationem eandem aliam eſse putaret, actore mutato.

Cyrus minor.

CVm ad Cyrum minorem Perſarum regem, præſtantem ingenio atque imperij gloria, Lyſander Lacedæmonius vir ſūmæ virtutis, veniſset Sardis, eique dona à socijs attuliſset & ceteris in rebus comis erga Lyſandrum atque humanus rex fuit, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendit; Cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavita-

 tem

tem odorum, qui afflarentur è floribus tum dixit: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, à quo essent illa dimensa, atque descripta. Et Cyrus respondit: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysander intuens ejus purpuram,& nitorem corporis,ornatumqne persicum multo auro multisque gemmis, dixit: Rectè verò, Cyre, te beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est.

Theramenes.

THeramenes conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum venenum ut sitiens obduxit reliquum sic è Poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito,ridens propino, inquit, hoc pulchro Critiæ qui in eum fuerat teterrimus Græci enim in convivijs solent nominare, cui poculũ tradituri sint.Lusit vir egregius extremo spiritu, cum jam præcordijs conceptã mortem contineret, veréque ei cui venenum præhibebat mortem est eam auguratus,quæ brevi consecuta est.

Lacon.

LAcedæmonius quidam, cujus nomen non est proditum, tantopere contemsit ut, cum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & esset vultu hilari atque læto, dixissetque ei quidam inimicus, contemnisne leges Lucurgi? respondit. Ego verò illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multaverit, quam sine mutuatione & sine Versura possem dissolvere.

Leonidas.

DVx Leonidas animans suos milites. Pergite animo forti, inquit, Lacedæmonij: Hodie apud inferos fortasse cœnabimus.

Theodorus Cyrenæus.

THeodoro Cyrenæo cum Lysimachus Rex crucem minaretur, istis quæso, inquit. ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidam nihil interest humile, an sublime putrescat.

Pythagoras.

PYthagoras dixit, Similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alij

corpo-

corporibus exercitatis Gloriam nobilitatem coronæ peterent, alij emendi, aut vendendi quæstu & lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maximè ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studiosèque perspicerent, quid ageretur & quomodo: item nos quasi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ servire, alios pecuniæ, raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur, hos se appellare sapientiæ studiosos, id est Philosophos, & ut illic liberalissimum esset spectare, nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studijs contemplationem rerum cognitionemque præstare.

Dionysius Tyrannus.

DIonysius Tyrannus cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, abundaretque & æqualium familiaritatibus, & consuetudine propinquorum, credebat eorum nemini, sed ijs, quos ex familijs locupletum, servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, & quibusdam convenis, & feris barbaris corporis

corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modò ipse se incluserat. Quinetiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido, ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonstriculæ tondebant barbam & capillum patris, & tamen ab ijs ipsis, cum jam essent adultæ ferrum removit, instituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent, cumque duas uxores haberet, sic nocte ad eas ventriabat, ut omnia specularetur, & perscrutaretur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset: eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat, idemque cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Atque is cum pila ludere vellet (studiosè enim id factitabat) tunicamque poneret; adolescentulo quē amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris jocans dixisset. Huic quidem certè vitam committis: arrisissetque adolescens, utrumque jussit interfici: alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui: alterum, quia id dictum risu approbavisset.

Dari-

Darius Ptolomæus.

DArius in fuga, cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundiùs. Nunquam videlicet ſitiens biberat, nec eſuriens Ptolomæus ederat, cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pano jucundius.

Socrates.

SOcratem ferunt, cum uſque ad veſperum contentiùs ambularet, quæſitumque eſſet ex eo quare id faceret reſpondiſſe, ſe, quo melius cenaret, obſonare ambulando famem.

Dionyſius.

CVm in Phiditijs Lacedæmoniorum cenaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, quod cenæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxeat, Minimè mirum, inquit: condimenta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille. Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.

Timotheus.

TImotheum, clarum hominem Athenis & principem civitatis ferunt, cum cenavisset apud Platonem eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse, Vestræ qnidem cenæ non solum in præsentia, sed etiam postero die jucundæ sunt,

Asclepiades.

ASclepiadem ferunt non ignobilem philosophum, cùm quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset, respondisse, ut puero uno esset comitatior.

Theodoris.

THeodoris Lysimacho mortē minitanti; Magnum verò, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es.

Ceres Ennensis

VEtus est hæc opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis, atq; monimentis insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam. Hoc cum ceteræ gentes sic arbitrantur tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum, atque innatum videatur, nam & nates esse has in his locis Deas, & fruges

in ea

in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore: qui locus, quod in media est insula situs, Vmbilicus Siciliæ nominatur, quam cum investigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tedas ijs ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt, quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum. Enna autem ubi ea, quæ dico gesta esse memorantur, est loco præcelso, atq; edito, quo in summo est æquata agri planicies, & aquæ perennes, tota vero omni aditu circumcisa, atq; dirempta est, quam circa lacus, lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni; locus ut ipse raptum illum virgines, quem jam à pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propè est spelunca quædam, conversa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repentè cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, & subito non longè à Syracusis penetrasse sub terras lacumque in eo loco repentè extitisse, ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt, celeberrimo virorum, mulierumque conventu.

Characterismus Ostentatoris.

ISte qui se dici divetem, putat esse præclarum, primum nunc videte quo vultu nos intueatur, nonne vobis videtur dicere; Darem, si mihi molesti non esietis. Cum verò sinistra mentum sublevat, existimat se gemmæ nitore, & auri splendore aspectus omnium præstringere. Cum puerum respicit, hunc unum, quem ego novi, vos non arbitror novisse, alio nomine appellat, deinde alio atque alio, Heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid isti barbari perturbent, ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis; ei dicit in aurem aut, ut domi lectuli sternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas Veniat, aut Asturconi locus ante ostendium suum detur, aut aliquod fragile falsæ choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant, videto ut diligenter numeretur, si potest ante noctem, Puer, qui jam benè hominis naturam novit. Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum & Sosiam, Sanè. Deinde casu, veniunt hospites homini, qui istum splendidè, dum peregrinaretur, receperant, Ex ea te homo hercle conturbatur,

tur, ſed tamen à vitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis. cùm venitis, ſed rectiùs feciſſetis, ſi ad me domum rectà abijſſetis. Id feciſſemus, inquiunt illi, ſi domum noviſſemus. At iſtud quidem facilè fuit undelibet invenire. verum ite mecum. Sequuntur illi. Sermo interea hujus conſumitur omnis in oſtentatione. Quærit in agris cujuſmodi frumenta ſint. Negat ſe, quia villæ incenſæ ſunt, accedere poſſe, nec ædificare etiamnum audere: Tametſi in Tuſculano quidem cæpi inſanire & in ijſdem fundamentis ædificare. Dum hæc loquitur venit in ædes quaſdam, in quibus ſodalitium erat eodem die futurum quo iſte pro notitia domini ædium ingreditur cum hoſpitibus: Hîc, inquit, habito. Perſpiciunt argentum, quod erat expoſitum, viſunt triclinium ſtratum, probant, accedit ſervulus, dicit homini clare, dominum jam venturū, ſi velit exire. Itane inquit? eamus, hoſpites, frater venit ex Falerno, ego illi obviam pergam. Vos huc decima venitote. Hoſpites diſcedunt Iſte ſe raptim domum ſuam conjicit: ille decima, quò juſſerat, veniunt; quærunt hunc; reperiunt cujas ſit in diverſorium deriſi conferunt ſeſe. Vident hominem poſtera die, narrant, expoſtulant accuſant.

Ait

Ait iste, eos similitudine loci deceptos angiporto toto de errasse. contra valetudinem suam se ad multam noctem exspectasse Sannioni puero negotium dederat, ut vasa, vestimenta, pueros corrogaret. Servulus non inurbanus satis strenue & concinnè comparat; iste hospites domum deducit. Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias accommodasse. Nunciat interea puer, argentum repeti (pertimuerat enim, qui commodarat) Apagete, inquit, ædes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? Tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samijs delectabimur, Quid ego, quæ deinde efficiat. narrem? Ejusmodi est hominis natura, ut quæ singulis diebus efficiat gloria atque ostentatione, ea vix annuo sermone enarrare possim.

Aspasia.

ASpasia cum Xenophontis uxore, & cum ipso Xenophonte ita aliquando locuta: Dic mihi quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurem quam tu habes, Vtrum Illius, an tuum malis? Illius inquit. Quid si vestem & ceterum ornatum muliebrem pretij majoris habeat, quám tu habes, tuumne, an illius malis? illius verò

verò reſpondit. Ageſis inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quam tu habes, Vtrumne tuum an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit; Quæſo, inquit, Xenophō, ſi vicinus tuus meliorem equum habeat, quàm tuus eſt, tuumne equum malis, an illius? illius, inquit. Quid ſi fundũ meliorem habeat, quam tu habes, Vtrum tandem fũdum habere malis, illũ, inquit, meliorem ſcilicet. Quid ſi uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipſe tacuit. Poſt Aſpaſia: Quoniam uterque veſtrûm, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet; nam & tu mulier optimum virum mavis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectiſſimã maximè vis. Quare niſi hoc perfeceritis, ut neque vir melior neq; femina lectior in terris, ſit profecto id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multò maximè requiretis, & tu, ut maritus ſis quàm optimæ mulieris, & hæc quàm optimo viro nupta ſit.

Femina

Femina quædam.

HVmilis in plebe Romana, & ideo ignobilis puerpera, supplicij causa carceri inclusa matre, cum impetrasset aditum, à janitore semper excussâ ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo, matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis

Gymno sophistæ.

QVæ Barbaria India vastior aut agrestior? in ea tamen gente primum ij, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucasi nives, hyemalemque vim perferunt sine dolore, cùmque ad flammam se applicuerint, sine gemitu aduruntur. Mulieres verò in India cum est cujusque earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quàm plurimùm ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, unà cum viro in rogum imponitur. Illa victa, mœsta discedit.

Dionysius Damocles.

CVm ex assentatoribus Dionysij Damocles commemoraret in sermone copias Dionysij, opus, majestatem, dominatus, rerum

rum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse: Visne igitur, inquit ô Democle, quoniam hæc te vita delectat ipse eandem degustare & fortunam experiri meam? cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimè textili stragulo magnificis operibus picto, abacosq; complures otnavit argento auroqne cælato, tum ad mensam eximia forma pueros de lectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare, aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimus epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentē gladium è lacunari seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mēsam, jam ipsæ defluebant coronæ, denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat?

Socrates.

Socrates.

SOcrates in pompa cum magna vis auri argentique feretur: Quam multa non desidero, inquit,

Xenocrates.

XEnocrates cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, præsertim Athenis maxima; adduxit legatos ad cœnam in Academiam, iisque apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari juberet: Quid? Vos hesterna, inquit, cœnula non intellexistis, me pecunia non egere? quos cùm tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

Gyges fabula.

GYges cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores essent quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, anulumque aureum in digito, quem ut detraxit, ipse induit, erat autem regius pastor, tum in consilium pastorum se re-

cepit. Vbi cum palam ejus anuli ad palmã converterat, à nullo videbatur: ipse autem omnia videbat, idem rursus videbatur, cum in lucem anulum inverterat. Itaque hac oportunitate annuli usus, Reginæ stuprum intulit, eaque adjutrice Regem dominum interemit, sustulitq; quos obstare arbitrabatur, nec in his quisquam eum facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio Rex ortus est Lydiæ.

Largius Macedo.

REm atrocem Largius Macedo, vir prætorius, à servis suis passus est: superibus alioqui dõinus & sævus et qui servisse patrem suum, parum immò minimùm meminisset. Lavabatur in villa, repente eum servi circumsistunt, alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus, & ventrem, atque etiam (fœdũ dictu) vetenda contundit, & cum exanimem putarent, abijciunt in fervens pavimentum, ut experirentur an viveret. Ille sive quia non sentiebat sive quia non sentire simulabat, immobilis & extentus fidem peractæ mortis implevit. tum demũ, quasi æstu solutus, effertur: excipiunt servi fideliores, concubinæ cum ejulatu & clamore concurrũt. Ita & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore, sublatis oculis

oculis agitatoque corpore, vivere se (& jam tutum erat) confitetur. Diffugiunt servi quorum magna pars comprehensa est, cæteri requiruntur: ipse paucis diebus ægre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit, ita vivus vindicatus ut occisi solent. Eidem Macedoni quũ in publico Romæ lavaretur, notabilis, atque etiam, ut exitus docuit, ominosa res accidit. Eques Romanus à servo ejus, ut transitum daret, manu leviter admonitus, convertit se, nec servum, à quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam graviter palma percussit, ut penè concideret. Ita balneum ei, quasi per gradus quosdam; primum contumeliæ locus, deinde exitij fuit.

Fons in agro Comensi.

FOns oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cenatiuncula manu facta, ibi paulullum retentus in Larium lacum decidit. Hujus mira natura, ter in diẽ statis auctibus ac diminutionibus crescit decrescitque. Cernitur id palam & cum summa voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis & vesceris; atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas; interim ille certis demensisque momentis vel subtrahitur vel assurgit. Annulum seu quid aliud ponis in

ſicco, alluitur ſenſimac noviſſimè operitur, detegitur rurſum, pallatimque deſeritur. ſi diutius obſerves, utrumque iterum ac tertio videas.

Curtius Rufus.

CVrtius Rufus tenuis adhuc & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat, inclinato die ſpatiabatur in porticu, offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque; perterrito, Africam ſe, futurorum prænuntiam dixit, iturum eum Romam honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eandem provinciam reverſurum, ibique moriturum. Facta ſunt omnia. Præterea accedenti Carthaginem, egredientique navem, eadem figura occurriſſe narratur. Ipſe certè implicitus morbo, futura præteritis, adverſa ſecundis auguratus, ſpem alutis, nemine ſuorum deſperante, projecit.

Athenodorus. Idolon.

ERat Athenis ſpatioſa & capax domus, ſed infamis & peſtilens, per ſilentium noctis ſonus ferri, &, ſi attenderes acriùs, ſtrepitus vinculorum longius primò, deinde proximo reddebatur, mox ap-

parebat Idolon, ſenex macie & ſqualllore confectus, promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque, inde inhabitantibus triſtes diræque noctes per metum vigilabantur, vigiliam morbus, & creſcente formidine mors ſequebatur, nam inter diu quoque, quanquam abſceſſerat imago, memoria imaginis oculis inhærebat, longioriſque cauſa timoris timor erat. Deſerra inde & ſolitudine damnata domus, totaque illi monſtro relicta, proſcribatur tamen, ſeu quis emere, ſeu quis conducere, ignatus tanti mali, vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio quia ſuſpecta vilitas, percunctatus omnia docetur, ac nihilominus, imò tantò magis conducit. Vbi cœpit ad veſperaſcere, jubet ſterni cibi in prima domus parte, poſcit pugillares, ſtylum, lumen ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribendum, animum, oculos, manum intendit; ne vacua mens audita ſimulachra & inanes ſibi metus fingeret, Initio, quale ubique, ſilentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri, ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obſirmare animum, auribuſque manum præ-

tendere, tum crebrescere fragor, adventare etiam, ac jam ut in limine, jam ut intra limen audiri, respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem, stabat innuebatque digito, similis vocanti: hic cōtra, ut paululum exspectaret, manu significat, rursusque ceris & stylo incumbit, illa scribentis capiti insonabat, respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus, tollit lumen ac sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis, postquam deflexit in aream domus, repentè dilapsa deserit comitem, desertus herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi jubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis, collecta publicè sepeliuntur, domus postea ritè conditis manibus caruit.

Libertus Plinij.

ERat Plinio libertus Marius non illitteratus, cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ybi illuxit, ipse

ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidē fecit. Puer in Pædagogio mistus pluribus dormiebat, venerunt per fenestras (ita narrabat) in tunicis albis duo, cubantemque detonderunt, & quá venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsosque circa capillos dies ostendit.

Lacus Vadimonis.

VAdimonis lacus est in similitudine jacentis rotæ circumscriptus, & undique æqualis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria & quasi artificis manu cavata & excisa, Color cæruleo albidior, viridior & pressior, sulphureus odor, saporque medicatus, vis qua fracta solidantur, Spatium modicum, quod tamen sentiat ventos & fluctibus intumescat. Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine & junco tectæ, quæque alia fœcundior palus ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, ut modus, cunctis margo derasus, quia frequenter vel littori, vel sibi illisæ terunt teruntturque. Par omnibus altitudo, par levitas: quippe in speciem carinæ humili radice descendunt. Hæc ab omni

mni latere perſpicitur, eadem aqua pariter ſuſpenſa & merſa, interdum junctæ copulatæque & continenti ſimiles eunt, interdũ diſcordantibus ventis digeruntur, non nunquam deſtitutæ tranquillitate ſingulæ fluitant, ſæpe minores majoribus, velut cymbulæ onerariæ, adhæreſcunt, ſæpe inter ſe minores majoreſque quaſi curſum certamenque deſimunt, rurſus omnes in eundem locum appulſæ, quà ſteterũt promovent terram & modo hac, modo illac lacum reddunt auferuntque, ac tum demum cum medium tenuere, non contrahunt, Conſtat pecora herbas ſecuta, ſic in inſulas illas ut in extremam ripam, procedere ſolere, nec priùs intelligèremobile ſolum, quám littore abrepta, quaſi illata &, impoſita circumfuſum undique lacum pavent. mox quô tulerit ventus egreſſæ, non magis ſe deſcendiſſe ſentire, quám ſenſerint aſcendiſſe. Idem lacus in flumen egeritur, quod ubi ſe pauliſper oculis dedit, ſpecu mergitur; alteque conditum meat, ac ſi quid, antequam ſubduceretur, accepit, ſervat & profert.

Delphinus Hipponenſis.

EST in Africa Hipponenſis colonia, mari proxima, adjacet ei navigabele ſtagnum,

num, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit. quod vice alterna, pro ut æstus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nnnc redditur, stagno. Omnis hic ætas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur, maximè puerorum, quos otium ludusque sollicitat his gloria & virtus altissimè provehi: victor ille qui longissimè ut littus, ita simul, nantes reliquit. Hoc certamine puer quidam audentior cæteris, in ulteriora tendebat: Delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremò subire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus, redditque terræ & æqualibus. Serpit per coloniam fama, concurrêre omnes, ipsum puerũ tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile, natant pueri, inter hos ille, sed cautiùs. Delphinus rursus ad tempus, sus ad puerum venit, fugit ille cum ceteris. Delphinus quasi invitet, revocet, exilit, mergitnr, variosque orbes implicitat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, dònec homines inutritos mari subiret timendi pudor, accedunt, & alludunt, & appellant, tangunt
 eti-

etiam, pertrectantque præbentem. Crescit audacia experimento Maximè puer, qui primus expertus est, adnatat, natantis insilit tergo, fertur, refertúrque, agnosci se, amari putat, amat ipse, neuter timet, neuter timetur. Hujus fiducia mansuetudo illius augetur, nec non alij pueri dextra lævaque simul eũt hortantes, monentesque. Ibat unà (id quoque mirum) delphinus alius, tantum spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur, sed illum alterum ducebat, reducebat, ut puerum ceteri pueri. Incredibile, (tam verum tamen quàm priora) Delphinũ gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, ubi incaluisset in mare revolui. Constat Octavium Avitum legatum Proconsulis, in littus educto religione prava superfudisse unguentum, cujus illum aversatum novitatem odoremque, in altum refugisse, nec nisi post multos dies visũ languidum & mœstum, mox redditis viribus priorem lasciviam & solita ministeria repetisse. Confluebant ad spectaculum omnes Magistratus, quorũ adventu & mora, modica Respub. immodicis novisque sumptibus atterebatur. Postremò locus ipse quietem suam secretumque

que perdebat. Placuit occulte interfici, ad quod coibatur.

Mors plinij Secundi, narrante nepote ex forore.

PLinius avunculus meus erat Miseni, classemque imperio præsens règebat. nono Kal. Septembris, hora diei ferme septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusiata & magnitudine & specie. Surgit ille è solo, ut solebat, frigida gustata, jacens enim studebat: poscit soleas, ascendit locum ex quo maximè miraculum illud cōspici poterat. nubes (incertum intuentibus procul ex quo monte: Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cujus similitudinem & formam non alia magis arbor, quàm pinus expresserit, Nam longissimo velut trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu evecta. deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, latitudinem vanescebat: cādida interdum, interdum sordida & maculosa, pro ut terram cineremque sustulerat, Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum. Iubem liburnicam aptari, mihi si venire unà vellem, facit copiam respondi studere me malle, & forte ipse quod scriberem dederat. Egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinæ classiarij imminenti

periculo exterriti (nam villa subjacebat, nec ulla nisi navibus fuga) ut se tanto discrimine eriperet, orabant. Non vertit ille consiliũ, sed quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deducit quadriremes ascendit ipse, non Retinæ modo, sed multus (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. properat illuc unde alij fugiunt: rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet; adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret evocaretque. Iam navibus cinis inciderat, quò propius accederet, calidior & densior jam pumices etiam, nigrique & ambusti & fracti igne lapides; jam vadum subitũ, ruinaque montis litora obstantia, cunctatusque paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, Fortes, inquit, Fortuna juvat: Pomponianum pete Stabijs erat, diremtus sinu medio. nã sensim circumactis curvatusque littoribus mare infunditur. Ibi, quamquam nondum periculo appropinquante, conspicio tamẽ, & cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certis fugæ, si contrarius ventus recessisset: quo tunc avunculus meus secundissimo invectus complectitur, trepidantem consolatur, hortatur: utque timorem

morem ejus sua securitate leniret, deferri se in balneum, jubet, locutus accubat, cænat, atque id hilaris, aut, quod est æquè magnum, similis hilari. Interim è Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ altaque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. Ille, agrestiū trepidatione ignis relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat: tum se quieti dedit, & quievit verissimo quidem somno, nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior & sonantior erat, ab ijs, qui limi observabantur, audiebantur. Sed area, ex qua diæta adibatur, ita jam cinere, mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiāo, ceteris que qui pervigilarant reddit. In commune consultant, an intra tecta subsistant an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis nūc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem

timorem timor vicit, cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic mox omnibus noctibus nigrior densiorque: quam tamen faces multæ, variaque lumina solvebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aspicere, ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum & adversum manebat. Ibi super abjectum linteum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit, hausitque: deinde flammæ flammarumque prænuntius odor sulphuris, alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus servis duobns assurrexit, & statim concidit, ut ego conjecto, crassiore caligine spiritu obstructo. clausoque stomacho, qui illi natura invalidus & ãgustus & frequenter interæstuans erat. Vbi dies redditus is, ab eo, quem novissimè viderat tertius, corpus in ventum est integrum illæsum, opertumque, ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti, quàm defuncto similior. Interim ego Miseni reliquum tempus studijs (ideo enim remanseram) impendi: mox balneum, cæna, somnus inquietus & brevis præcesserat per multos dies tremor terræ minus formidolosus, qui Campaniæ non solum castella, verum etiam oppida vexare solitus: illa

la verò nocte ita invaluit, ut non move-
i omnia, sed everti crederentur. Irrumpit
ubiculum meum mater; surgebam invi-
em, si quiesceret, excitaturus. recedimus
a aream domus, quæ mare à tectis modi-
o spatio dividebat, dubito constantiam
ocare, an imprudentiam: debeam agebam
nim duo devicesimum annum. Posco li-
rum Titi Livij, & quasi per otiū lego, atq;
iam, ut cœperam, excerpo. Ecce ami-
us avunculi, qui nuper ad eū ex Hispania
enerat ut me & matrem sedentes, me ve-
ò etiam legentem videt, illius patientiam
curitatem meam corripit: nihilo segni-
s ego intentus in librum. Iam hora diei
rima, & adhuc dubius & quasi languidus
es, jam quassatis circum jacentibus tectis,
uamquam in aperto loco, angusto tamē,
agnus & certus ruinæ metus. Tum de-
ium excedere oppido visum. Sequitur
ulgus attonitum, quodque in pavore si-
iile prudentiæ, alienum consilium suo
æfert, ingentique agmine abeuntes pre-
it & impellit Egressi tecto consistimus,
ulta ibi miranda, multas formidines
timur. nam vehicula quæ produci jusse-
mus quamquam in planissimo campo,
contrarias partes agebantur, ac ne la-
dibus quidem fulta, in eodem vestigio
qui-

quiescebant. Præterea mare in se resorberi, & tremore terræ quasi repelli videbatur. Certè processerat littus, multaque animalia maris in siccĩ sarenis detinebat. Ab altero latere nubes atra & horrẽda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat, fulgoribus illæ & similes & majores erant. Tum verò ille idem ex Hispania amicus, acrius & instantius, Si frater (inquit) tuus, tuus avunculus vivit, vult esse vos salvos: si perijt, superstites voluit: proinde quid cessatis evadere? Respondimus, non conmissuros nos ut de salute ejus incerti, nostræ consuleremus. Non moratus ultra proripit se, effusoque cursu periculo aufertur: nec multò post illa nubes descendere in terras, operire maria. cinxerat Capreas & absconderat: Miseni quod procurrit, abstulerat. Tum mater orare, hortari, jubere quoque modo fugerem: posse enim juvenem, se & annis & corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contra salvum me, nisi unà, non futurum, deinde manum ejus amplexus, addere gradum cogo: paret ægrè, incusatque se quod me moretur. Iam cinis adhuc, tamen rarus: respicio: densa caligo tergis imminebat, quæ nos, torrentis

tis modo infusa terræ, sequebatur. Deflectamus, (inquam) dum videmus, ne in via strati, comitantium turba in tenebris obteramur. Vix consederamus, & nox non qualis illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto: audires vlulatus fæminarum, infantium quiritatus, clamores virorum: alij parentes, alij liberos, alij conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant: hi suum casum, illi suorum, miserabantur: erant qui metu mortis mortem precarentur. multi ad Deos manus tollere, plures nusquam jam Deos ullos, æternamque & novissimam noctem mũdo interpretabantur. nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud ruisse. illud ardere, falsò, sed credentibus nuntiabant. Paullum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis judicium videbatur: & ignis quidem longius substitit: tenebræ rursus, cinis rursus multus & gravis: hunc identidem assurgentes excutiebamus: operti alioqui, atque etiam oblisi pondere essemus. Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire, misero, magno tamen mortalitatis solatio credidissem

dissem, Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve decessit: mox dies verè, sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse cum deficit solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis muta omnia, altoque cinere tanquã nive obducta. Regressi Misenum, curatis utcumque corporibus, suspensam dubiamque mentem spe ac metu exegimus: metus prævalebat, Nã & tremor terræ perseverabat, & plerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua & aliena mala ludificabantur. nobis tamen ne tunc quidem, quamquam & expertis periculum, & ea spectantibus, abeundi cõsilium, donec de avunculo nuntius veniret.

Servus domino fidelis.

VRbinus proscriptus cum in Reatino lateret, latebris proditis, unus ex servis, annulo ejus & veste insignitus, in cubiculo, ad quod irruebant qui persequebantur pro domino jacuit, militibusque ingredientibus cervicem præbuit, & ictum tanquam Vrbinus excepit. Vrbinus postea restitutus, monumentum ei fecit, titulo qui tantum meritum loqueretur, addito.

Alius Servus.

RЕstionem proscriptum solumque nocte fugientem diripientibus bona ejus aliis, servus compeditus inscripta fronte, cum post damnationem domini aliena esset solutus custodia, fugientem persecutus est; hortatusque ne se timeret, scientem contum eliam suam fortunæ imputandam esse, non domino: abditumque ministerio suo aluit. Cum deinde persequentes à desse sensisset, senem quem casus obtulit, jugulavit, & in constructam pyram conjecit: qua accensa, occurrit eis qui Restionem quærebant, dicens damnatum sibi pœnas luisse, multò acrius à se vexatum, quàm ipse vexarat. Ei fide habita, Restio liberatus est.

Tutela seu Philotis ancilla.

POst urbem captam, cum sedatus esset Gallicus motus, res verò publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis, aucupati, præfecerunt sibi Livium Fidenatium dictatorem. Qui mandatis ad Senatum missis, postulavit, ut si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamiliæ sibi, & virgines dederentur, Cumque patres essent

in ancipiti deliberatione ſuſpenſi, ancilla nomine Tutela ſeu Philotis, pollicita eſt, ſe cum ceteris ancillis, ſub nomine dominarum ad hoſtes ituram: habituque matrum familias & virginum ſumpto, hoſtibus proſequentium lacrymis fides dolori facta eſt. Quæ cum à Livio in caſtris diſtributæ fuiſſent, viros plurimo vino provocaverunt, diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes. Quibus ſoporatis, ex arbore caprifico, quæ caſtris erat proxima, ſignum Romanis dederunt qui cum repentina incurſione ſuperaſſent, memor beneficij Senatus, omnes ancillas manu juſſit emitti; dotemque eis ex publico dedit, & ornatum quo tunc erant uſæ, geſtare conceſſit, diemque ipſum Nonas Caprotinas nuncupavit: ab illa caprifico, ex qua ſignum victoriæ ceperant: ſacrificiumque ſtatuit annua ſolennitate celebrandum, cui lac quod ex caprifico manat propter memoriam facti adhibetur.

Auguſtus Cæſar.

QVum ſublimis ex Actiaca victoria reverteretur, occurrit inter gratulantes quidam còrvum tenens, doctum hæc verba ſonare: *Ave Cæſar victor.* Hac ſalutatione delectatus Auguſtus, avem ſex milibus nu-

numûm emit. Socius opificis ad quem nihil ex ea liberalitate pervenerat, judicavit Cæsari eundem & alium habere corvum, quem ut afferre cogeretur rogavit: Alatus verba quæ didicerat expressit: *Ave victor Imperator Antoni.* Augustus nihil exasperatus, satis duxit jubere illum munus cum delatore contubernali partiri. Salutatus similiter à psittaco,&hunc emi jussit. Idem miratus in pica, hanc quoque mercatus est. Hoc exemplum sutorem pauperem sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem. Qui cum impendio exhauriretur, subinde ad avem non respondentem dicere solebat; *Opera & impensa perijt.* Qandem pervicit assiduitate, ut corvus sonaret dictatam salutationem. Ea cum Augustum transeuntem, salutasset. Cæsar *Satis*, inquit, *istiusmodi salutatorum habeo domi.* Tum corvus memor & illorum verborum quæ toties audierat, subtexuit, *Opera & impensa perijt.* Ad hoc arridens Augustus jussit avem emi, quanti nullam aliam emerat.

Cleopatra.

CLeopatrra Regina Egypti Antonium maritum sponsione provocavit, insumere se posse in unam cænam sestertium cen

centies. Id Antonio mirum visum, nec moratus sponsione contendit, pignus custodiente Numario Planco, qui certaminis arbiter electus est. Cleopatra postero die Cænam apparavit pollucibilem sane, sed quam non miraretur Antonius, quippe qui omnia quæ apponebantur, ex quotidianis opibus agnosceret. Tunc regina arridens, phialam poposcit, cui aceti non nihil acris infudit, atque illic unionem demptum ex aure altera festinabunda demisit eumque dissolutum, uti ejus natura est, absorbuit: & quamvis eo facto sponsionem vicisset, quippe cum ipsa margarita centies sestertiûm citra controversiâ valuisset, manum tamen & ad alterius auris unionem similiter admovit. Inhibuit Numatius, qui jam superatum Antonium maturè pronuntiavit. Ipse autem unio cujus magnitudinis fuerit inde potest colligi quod qui superfuit, victa regina & capta, Ægypto Romam delatus, dissectusque est, & factæ ex una margarita duæ impositæque simulacro Veneris, ut monstrosæ magnitudinis.

Insulæ Fortunatæ

PRoditū est à veteribus Poëtis, esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mor-

mortem deferantur eorum animi qui, sanctè religioseque vixerint. ibi eos inter se jucundissime ac suavissime vivere, in amœnissimo quodã prato, quod gemmea florum oculis naribusque gratissimorum varietate perpetuò destinctum picturatumque sit, nunquam non illic nitere cœlum, frondere arbores, pubescere herbas ridere omnia, spirare assiduè mollissimos Favonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidissimo murmure auribus blandiantur. Eò accedere innumerabilem vim ac copiam immortaliũ,aviculariũ quæ usq;&usq; liquidissimos cantus tenui gutture fundirantes, intimos audientium sensus incredibili voluptate permulceant. pratum ipsum perennibus rivulis variè interseçari. quorum aquula nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta & allisa susurrum efficiat dulcissimum. Ita quà flosculorum ambrosios odores exhalantium suavitate, quà Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium sibilo; quà volucrum concẽtibus, quà blando murmurantium rivulorum strepitu beatas illas mentes continenter hilarari. Ergo alios ad Orphei, Amphionisve lyrã choreas agere, alios psallere, alias corollas texere, alios in herba fusos,
quà

nt ut jam statim coram desiliret præ-
os in mare. Homo ibi territus spe omni
æ perdita, id unum postea oravit, ut,
iusquam mortē oppeteret, induere per-
tterent sua sibi omnia indumenta & fi-
s capere, & canere carmen casus illius
consolabile. feros & immanes navitas
olubium tamen audiendi subit, quod
averat impetrat. Atque ibi mox de mo-
cinctus, amictus, ornatus stansque in
nmæ puppis foro, carmē, quod orthiū
itur, voce sublatissima cantavit. Ad po-
ema cantus, cum fidibus ornatuq; omni
it stabat canebatque, jecit sese procul in
fundum. navitæ haudquaquam dubi-
tes quin periisset, cursum, quem facere
perant tenuerunt. Sed novum & mi-
n & pium facinus contigit. Delphinus
entè inter undas adnavit, fluitantique
homini subdidit, & dorso super flu-
s edito vectavit, incolumique eum
pore & ornatu Tænarum in terram
onicam devexit. Tum Ario prorsus ex
oco Corinthum petivit, talemque Pe-
idro regi, qualis Delphino vectus fu-
, inopinanti sese obtulit, eique rem,
ti acciderat, narravit. rex istæc parum
lidit: Arionem, quasi falleret, custo-
jussit. Navitas requisitos, ablegato A-

E rione.

Artemisia.

ARtemisia Mausolum virum amasse fertur supra omneis amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem. Mausolus autem fuit rex terræ Cariæ is ubi fato perfunctus, inter lamenta & manus uxoris funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans uxor, ossa cineremque ejus mixta odoribus contusaque in faciem pulveris, aquæ indidit, ebibitque: multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur: molita quoque est ingenti impetu operis; conservandæ mariti memoriæ sepulcrum illud memoratissimum dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula, id monumentum Artemisia quũ dis Manibus Mausoli dicaret, agnonem, laudibus ejus dicundis facit, ponitque præmia pecuniæ aliarumque rerum bonarum amplissima. ad eas laudes decantandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili.

Thrax quidam.

HOmo Thracus ex ultima barbaria, ruris colẽdi insolens quum in terras cultiores, humanioris vitæ cupidine, com-

migrasset, fundum mercatus est oleo atq; vino constitutum: qui nihil admodum super vite aut arbore colenda sciret, videt forte vicinum rubos latè atque alte obortas excidentem, fraxinos ad summum prope verticem deputantem, suboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas revellentem, stolones in pomis aut in oleis proceros atque decerptos amputantem; acceditque prope & cur tantam ligni atque frondium cædem faceret percontatus est, & vicinus ita respondit; ut ager, inquit, mundus purusque fiat, ejusque arbor atque vitis fœcundior. Discedit ille à vicino, gratias agens, & lætus tanquam adeptus rei rusticæ disciplinam. Tũ falcem ibi atque securim, capit atque ibi homo miser imperitus vites suas sibi omnes & oleas detruncat, comasque arborum lætissimas uberrimosq; vitium palmites decidit, & frutecta atque virgulta simul omnia, pomis frugibusque gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratia convellit: mala mercede doctus audaciam fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus.

Lacedæmonij.

POpulus Lacedęmonius de summa rep. sua, quidnam esset utile & honestum deliberabat. Tum exurgit, sententiæ dicendæ gratia, homo quispiam turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atq; facundia nimium quanto præstabilis, consilium, quod dabat, quodque oportere fieri suadebat acceptũ ab universis & complacitũ est: futurumq; erat ex ejus sententia populi decretum. Ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonii ætatis dignitatisq; majestate tanquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto irritatoq; animo exsilit, &, quænam, inquit, Lacedæmonii, ratio, aut quæ tandem spes erit, urbem hanc & hanc remp. salvam inexpugnabilemque diutius esse posse, si hujuscemodi anteactæ vitæ hominibus consiliariis utemur? quod si proba ista hæc & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eandem dehonestari turpissimi auctoris contagio. Atque ubi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque justitia præter alios præstantem, sed inopi lingua & infacundum, jussitque eum consensu petituque omnium, eandem illam sententiam diserti viri cujus-

modi posset verbis dicere; ut nulla prioris mentione habita scitum atque decretum populi ex ejus unius nomine fieret, quod ipsum denuo dixerat. Atq; ita ut suaserat prudentissimus senex, factum est. Sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est.

Plutarchus.

PLutarchus servo suo nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque Philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, cædique eum loro jussit; cæperat verberari: obloquebatur non meruisse ut vapularet, nihil mali, nihil sceleris admisisse, postremo vociferari inter vapulandum incipit: neque jam querimonias aut gemitus ejulatusque facere, sed verba seria & objurgatoria: Non ita esse Plutarchum, ut diceret: philosophum irasci turpe esse; sæpe eum de malo iracundiæ edissertavisse, librum quoque pulcerrimum de refrenanda ira conscripsisse, iis omnibus quæ in eo libro scripta sunt, nequaquam convenire, quod provolutus effususque in irã plurimus se plagis multaret. Tum Plutarchus lentè & leviter. Quid auté, inquit, verbero, nunc ego tibi

irasci videor? ex vultune meo an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum esse me ira intelligis? mihi quidem neque oculi opinor truces sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque in spumam ruboremve effervesco, neque pudenda dico aut pænitenda, neque omnino trepido ira & gestio. Hæc enim omnia, si ignoras, signa esse iratum solent. Et simul ad eum, qui cædebat, conversus, interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age.

Senatus Romanus.

CVm Pyrrhus rex in Italia esset, & unam atque alteram pugnam prosperè pugnasset, satisque angerentur Romani & pleraque Italia ad Regem descivisset: tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrrhi amicus, ad Fabricium consulem furtim venit, ac præmium petivit, & si de præmio conveniret, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu, quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. Senatus legatos ad regem misit, mandavitque ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, uti rex circumspectius ageret, atque à pro-

ximorum insidiis salutem tutaretur. Rex Pop. Rom. laudes atque gratias scripsit, captivosque omnes, quos tum habebat, restituit ac reddidit.

Protagoras.

PRotagoram, virum studiis in doctrinarū egregium, adolescentē ajunt victis quærendi gratia in mercedem missum, vecturasque onerum corpore suo factitavisse: quod genus Latini *Bajulos* appellamus. Is de proximo rure Abderā oppidum, cujus popularis fuit, caudices ligni plurimos funiculo brevi circundatos portabat, tum forte Democritus civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis & Philosophiæ gratia venerandus, cum egrederetur extra urbem, vidit eum cum illo genere oneris tam impedito ac tam incohibili, facile ac expedite incedentem, & prope accedit; & vincturam posituramque ligni scite periteque factam considerat, petitque ut paulum acquiescat, quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit; atque itidem Democritus acervum illum & quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit: interrogavit quis id lignum ita composuisset: cū ille à se

compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret. at postquam ille solvit, ac similiter composuit: tum Democritus, animi aciem sollertiamque hominis non docti demiratus, Mi adolescens, inquit, cum ingenium bene faciendi habeas, sunt majora melioraquequæ facere mecum possis abduxitq; eum statim, secumque habuit & sumtum ministravit, & philosophias docuit, & esse eũ fecit, quantus postea fuit.

Bucephalus equus Alexandri.

EQuus Alexandri regis & capite & nomine *Bucephalus* fuit. Emtus scribitur talentis tredecim, & regi Philippo donatus. Super hoc equo dignum memoria visum, quod, ubi ornatus erat armatusque ad prœlium haud unquam inscendi sese ab alio nisi à rege passus sit. id etiam de isto equo memoratum est, quòd cum in eo insidens Alexander, bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostium cuneum non satis sibi providens immisisset, conjectis undique in Alexandrum telis, vulneribus altâ cervice atque in latere equus perfossus est, moribundus tamen ac prope jam exsanguis è mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit: atque ubi

eum extra tela extulerat, illico concidit, & deinde jā superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio, exspiravit, tum Alexander parta ejus belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit, atque ob equi honores, Bucephalon appellavit.

Filius Crœsi.

FIlius Crœsi regis, cum jam per ætatēm fari posset, infans erat; &, cum jam multùm adolevisset, itē nihil fari quibat, mutus adeo & elinguis diu habitus est, cum verò in patrem ejus bello magno victum, & urbe, in qua erat, capta, hostis gladio deducto regem esse ignorans invaderet: diduxit adolescens os clamare nitens, eoq; nisu & impetu spiritus vitium nodumque linguæ rupit; planèque & articulatè locutus est, clamans in hostē ne rex Crœsus occideretur, tum & hostis gladium reduxit, & rex vita donatus est, & adolescens loqui prorsum deinceps incepit. Sed & quispiam Samius Athleta, nomē illi fuit Ægles, cum antea non loquens fuisset, ob similem dicitur caussam loqui cœpisse, nam cum sacro certamine sortitio inter ipsos & adversarios non bona fide fieret, & sortem nominis falsam subjici animadvertisset: repente in eum, qui id faciebat sese videre

quid

quid faceret malum inclamavit, atq; is oris vinculo solutus, per omne inde vitæ tempus, non turbide neque adhæsè locutus est.

Attilius Regulus.

REgulus captus, ad ea quæ in senatu Romæ dixit, suadens, ne captivi cum Carthaginensibus permutarentur, id quoque addidit; venenum sibi Carthaginienses dedisse nō præsentaneum, sed ejusmodi quod mortem in diem proferret; eo consilio ut viveret quidem tantisper quò ad fieret permutatio, post autem grassante sensim veneno cor tabesceret. Idem Regulus rediisse Carthaginem novisque exemplorum nodis excruciatus à Pœnis dicitur. In atras enim & profundas tenebras eum claudebant, ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, & adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant, palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.

Scipio Africanus.

ASsidebat Scipio Africanus superior, oppugnabatque oppidum in Hispania, situ, mænibus, defensoribus validum &

munitum: re etiam cibaria copiosum: nullaque ejus potiundi spes erat. & quodam die jus in castris sedens dicebat: atque ex eo loco id oppidū procul videbatur. tum è militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more in quem diem locumque vadimonium promitti juberet, & Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens. Perendie, inquit, sese sistant illo in loco. atque ita factum, die tertio in quem vadari jusserat, oppidum captum est, eodemque die in arce ejus oppidi jus dixit.

Accius.

CVm Pacuvius grandi jam ætate & morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Accius tunc haud paullo junior proficiscens in Asiam, quum in opidum venisset, divertit ad Pacuvium: comiterque invitatus, plusculisq; diebus ab eo retentus, tragœdiam suam cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse ajunt, sonora quidem esse, quæ scripsisset, & grandia, sed videri tamen ea sibi duriora paullum & acerbiora. Ita est, inquit, Accius, uti dicis, neque id sanè me pænitet: meliora enim fore spero quæ deinceps scribam,

nam

nam quod in pomis est, itidem, inquit, ajunt esse in ingeniis: quæ dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia & jucunda, sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. relinquendum igitur visum est ingenio, quod dies atque ætas mitificet.

Vita humana.

VIta hominum, qui ætatem in medio rerum agunt, ac sibi suisque esse usui volunt, negotia periculaque ex improviso assidua ac prope quotidiana fert. ad ea cavenda atque declinanda proinde esse oportet animo semper promto atque intẽto, ut sunt athletarum qui pancratiæ vocantur. nam sicuti illi ad certandum vocati projectis altè brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo promuniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata: ita animus atque mens viri prudentis, adversus vim & petulantias injuriarum, omni in loco atque tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, sæpta solidè, expedita, nunquam connivens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogita-

gitationesque contra fortunæ verbera, cõtraque insidias iniquorum quasi brachia & manus protendens; ne qua in re adversa & repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur.

Alcibiades.

ALcibiades Atheniensis cum apud avunculum Periclem puer artibus ac disciplinis liberalibus erudiretur, & arcessi Pericles Aritigenidam tibicinem jussisset, ut eum canere tibiis, quod honestissimum tum videbatur, doceret: traditas sibi tibias cum ad os adhibuisset inflassetque, pudefactus oris deformitate abjecit infregitque. ea res cum percrebuisset; omnium tum Atheniensium consensu, disciplina tibiis canendi desita est.

Cornelius Sacerdos.

QVo Cæsar & Pompejus die per civile bellum signis collatis in Thessalia conflixerunt, res accidit Patavii in transpadana Italia memorari digna. Cornelius quidam Sacerdos, & loco nobilis & sacerdotii religione venerandus, & castitate vitæ sanctus, repente mota mente conspicere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari, ac deinde cedere alios, alios urgere, cædem, fugam, tela volantia, instaurationẽ

pu-

pugnę, impreſſionem, gemitus, vulnera, perinde ut ſi ipſe in prœlio verſaretur coram videre ſeſe vociferatus eſt, ac poſtea ſubito exclamavit Cæſarem viciſſe. Ea Cornelii Sacerdotis hariolatio levis tum quidem viſa eſt & vecors, magnæ mox admirationi fuit, quod non modo pugnæ dies, quæ in Theſſalia pugnata eſt, neque prœlii exitus, qui erat prædictus, idem fuit, ſed omnes quoq; pugnandi reciprocæ vices, & ipſa exercitum duorum conflictatio vaticinantis motu atque verbis repræſentata eſt.

Sertorius.

SErtorius vir acer, egregiuſque dux, & tuendi regendique exercitus peritus fuit. is, in temporibus difficillimis & mentiebatur ad milites ſi mendacium prodeſſet, & literas compoſitas pro veris legebat, & ſomnium ſimulabat, & falſas religiones conferebat, ſiquid iſtæ res eum apud militum animos adjurtabant. Illud adeo Sertorii nobile eſt. Cerva alba eximiæ pulchritudinis & vivaciſſimæ celeritatis à Luſitano ei quodam dono dato eſt. Hanc ſibi oblatam divinitus & inſtinctam Dianæ numine colloqui ſecum monereque & docere, quæ utilia factu eſſent, perſuadere omnibus inſtituit: ac ſi quid durius videbatur

batur quod imperandum militibus foret, à cerva sese monitum prædicabat. Id cum dixerat, universi tanquam semi Deo libentes parebant. Ea cerva quodam die cum incursu esset hostium nuntiata festinatio, tumultu consternata in fugam sese prorupit, atque in palude proxima delituit, & postea requisita perisse credita est, neque multis diebus post, inventam esse cervam; Sertorio nuntiatur, eum, qui nunciaverat, jussit tacere, ac ne cui palam diceret, interminatus est: præcepitque ut eã postera die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret. admissis deinde amicis postridie, visã sibi ait in quiete cervam, quæ perisset, ad se reverti, &, ut prius consueverat, quod opus esset facto prædicare. tum Sertorio quod imperaverat significante, cerva emissa in cubiculum Sertorii introrupit. Clamor factus & orta admiratio est: eaque hominum barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus magno usui fuit. Memoriæ proditum est, ex iis nationibus, quæ cum Sertorio faciebant, cum multis prœliis superatus esset, neminẽ unquam ab eo descivisse, quamquam id genus hominum esset mobilissimum.

Demetrius Poliorcetes.

RHodum insulam celebritatis antiquissimæ, oppidumq; in ea pulccerrimum ornatissimumq; obsidebat, oppugnabatq; Demetrius, dux ætatis suæ inclitus: cui à peritia disciplinaque faciendi obsidii, machinarumque solertia ad capienda oppida repertarum, cognomentum Poliorcetes fuit. tum ibi in obsidione illa ædes quasdam publice factas, quæ extra urbis muros cum parvo præsidio erant, aggredi & vastare atque absumere igni parabat: in his ædibus erat memoratissima illa imago Ialysi Protogenis manufacta illustris pictoris, cujus operis pulcritudinem præstantiamque ita percitus Rhodiis invidebat. mittunt Rhodii ad Demetrium legatos cum his verbis: Quæ malum, inquiunt, ratio est, ut tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? nam si nos omnes superaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris, sin verò nos vincere obsidendo nequiveris; petimus consideres ne turpe sit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse, hoc ubi ex legatis audivit, oppugnatione desita, & imagini & civitati pepercit.

Psylli.

GEns in Italia Marsorum orta esse fertur à Circæ filio, propterea Marsis hominibus quorum dumtaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permixtæ corruptæque sunt, vi quadam genitali datum est, ut serpentium virulentorum domitores sint, & incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. Hac eadem vi præditi quondam Psylli fuerunt, de quibus hæc fabula invenitur. Psyllos olim fuisse in terra Africa conterminos Nasamonibus: Austrumque in finibus eorum quodam tempore perquàm validum ac diutinum flavisse: eo flatu aquam omnē in locis, in quibus colebant, exaruisse: Psyllos reaquaria defectos eam injuriam graviter succensuisse Austro decretumque fecisse, uti armis sumtis ad Austrum, proinde quasi ad hostem, jure belli res repetitum proficiscerentur: atque ita profectis ventum Austrum magno spiritus agmine venisse obviam, eosque universos, cum omnibus copiis armisque, cumulis montibusque harenarum supervectis operuisse: eo facto Psyllos ad unum omnes interisse: itaque eorum fines à Nasamonibus occupatos.

Menander.

MEnander à Philemone, nequaquam pari ſcriptore in certaminibus Comœdiarum ambitu gratiaque & factionibus ſæpenumero vincebatur. eum cum fortè habuiſſet obviam, Quæſo, inquit, Philemo, bona venia dic mihi, cum me vincis non erubeſcis?

Litteræ occultæ.

LAcedæmonii veteres, cum diſſimulare & occultare literas publicè ad imperatores ſuos miſſas volebant, ne ſi ab hoſtibus eæ captæ forent, conſilia ſua noſcerentur, epiſtolas id genus fictas mittebant: ſurculi duo erant teretes, deraſi atque ornati conſimiliter. unus imperatori in bellū proficiſcenti dabatur: alterum domi magiſtratus cum jure atque cum ſigno habebant, quando uſus venerat literarum ſecretiorum, circum eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis; longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant, volumine rotundo atque ſimplici, ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes loci, quod plicabatur, coirent. literas deinde in eo loro per tranſverſas juncturarum oras, verſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, inſcribebant. Id lorum litteris ita perſcriptis revolu-

volutum ex surculo imperatori commentii illius conscio mittebant, resolutio autem lori litteras truncas atque mutilas reddebat, membraque earum & apices in parteis diversissimas spargebat, propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, capite ad finem, proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescẽtes rursum coibant, integramque & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Hoc genus epistolæ Lacedæmonii scytalen appellant. Legimus etiam virum quempiam illustrem Pœnum epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse; pugillaria nova nondum etiam cera illita accepisse; literas in lignum incidisse; postea tabulas, uti solitum est, cera conlevisse; easque tabulas tanquam non scriptas cui futurum id prædixerat, misisse; eum deinde ceram derasisse, litterasque incolumes ligno incisas legisse. Est & alia in monumentis rerum Græcarum profunda quædam & inopinabilis latebra barbarico astu excogitata. Histieus nomine fuit, loco natus in terra Asia non ignobili, Asiam tunc tene-

bat imperio rex Darius. Is Histieus, cum in Persis apud Dariũ esset, Aristagoræ cuipiam res quasdam occultas nuntiare furtivo scripto volebat conminiscitur opertum hoc literarum admirandum: servo suo diu oculos ægros habenti capillũ ex capite omni tanquam medẽdi gratia, deradit; caput ejus leve in litterarũ formas compungit. His litteris quæ voluerat perscripsit, hominem postea quo ad capillus adolesceret, domo continuit, ubi id factum est, ire ad Aristagoram jubet, & cum ad eum, inquit, veneris, mandasse me dicito, ut caput tuum, sicut nuper egomet feci, deradat. Servus, ut imperatum erat, ad Aristagoram venit, mandatumque dommi affert, atq; ille id non esse frustra ratus, quod erat mandatum, facit, ita litteræ perlatæ sunt.

Mithridates.

ANates Ponticas dicitur edundis vulgò venenis victitare. Scriptum etiam, Mithridatem illum Ponti regem medicinæ rei & remediorum id genus sollertem fuisse, solitumque earum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis vairént; eumque sanguinem vel potentissimũ esse in ea confectione; ipsum autem regem, assiduo talium medelarum usu, à clandestinis epularum insidiis cavisse: quin & scien-

ſcientem quoque ultro & oſtentandi gratia venenum rapidum & velox ſæpenumero hauſiſſe, atque id tamen ſine noxa fuiſſe, quamobrem poſtea, cùm prœlio victus in ultima regni refugiſſet, & mori decreviſſet, venena violentiſſima feſtinandæ necis gratia fruſtra expertus, ſuo ſe ipſe gladio tranſegit. Hujus regis antidotus celebratiſſima, quæ Mithridatios vocatur.

Romulus.

ROmulum dicũt ad cænam vocatum, ibi non multum bibiſſe, quia poſtridie negotium haberet, ei dicunt: Romule, ſi iſtud omnes homines faciant, vinum vilius ſit, is reſpondit: imo vero carum, ſi quantum quiſque volet, bibat: nam ego bibi quantum volui.

Victus & ſomnus puerorum.

PVeros impuberes compertum eſt ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri: advertimuſque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minuſque adoleſcere.

Philoſophus quidam, Narrante A. Gellio.

NAvigabamus mare Ionium violentum & vaſtum & jactabundum, nox deinde quæ primum diem ſecuta eſt, in ea fere to-

ta ventus à latere sæviens navem undis cōpleverat, tum postea complorantibus omnibus nostris atque sentinantibus, dies quidem tandem illuxit, sed nihil de periculo neque de sævitia remissum: quin turbines etiam crebriores, & cœlum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas typhonas vocabant impendere immineréque, ac depressuræ navem videbantur. in eadem fuit philosophus in disciplina Stoica celebratus, quem ego Athenis cognoveram non parva virū auctoritate, satisque attente discipulos juvenes continentem. Eum tunc in tantis periculis inque illo tumultu cæli marisq; requirebam oculis; scire cupiens quonam statu animi, & an interritus intrepidusque esset, atque ibi hominem conspicimus impavidum & extrilidum, ploratus quidem nullos, nec ullas ejusmodi voces cientem, sed coloris & vultus turbatione non multū à ceteris differentem. At ubi cælum enituit & deferbuit mare, & ardor ille periculi deflagravit, accedit ad Stoicum Græcus quispiam dives ex Asia, magno, ut videbamus cultu paratuque rerum & familiæ, atque ipse erat multus corporis animique deliciis diffluens. Is quasi illudens, quid hoc est inquit, ô philosophe, quod cum in periculis essemus, timuisti ut & palluisti, ego neque

que timui neque pallui, & philosophus aliquantum cunctatus an respondere ei conveniret. Si quid ego, inquit, in tanta violentia tempestatum videor paulum pavefactus, non tu istius rei ratione audienda dignus es, sed tibi sane Aristippus ille pro me responderit: qui in simili tempore à similimo tibi homine interrogatus quare philosophus timeret, cum ille contra nihil metueret, non eandem esse caussam sibi atque illi respondit: quoniam is quidem esset non magno opere sollicitus pro anima nequissimi nebulonis, ipsum autem pro Aristippi anima timere, his tunc verbis Stoicus divitem illum Asiaticum à sese amolitus est.

Æschines.

SOcrati cum multa multi pro suis quisq; facultatibus offerret: Æschines pauper auditor: Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim, invenio & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod unum habeo me ipsum; Hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quid ni tu inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte parvo te æstimas, Habebo

itaque

itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omnium juvenum munificentiam.

Arceſilaus.

ARceſilaus amicó pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti, deeſſe ſibi in ſumptum ad neceſſarios uſus, cum clam ſuccurrendum judicaſſet, pulvino ejus ignorantis ſacculum ſubjecit, ut homo inutiliter verecúndus, quod deſiderabat, inveniret potiùs, quàm acciperet.

Alexander.

VRbem cuidam Alexander donabat veſanus, & qui nihil animo niſi grande conciperet. Cum ille cui donabatur, ſe ipſum menſus, tanti muneris invidiam refugiſſet, dicens non convenire fortúnæ ſuæ: Non quæro inquit, quid te accipere deceat, ſed quid me dare. Animoſa vox videtur & regia, cum ſit ſtultiſſima. Nihil enim per ſe quemquam decet, refert quid, cui, quando, quare, ubi, & cætera, ſine quibus facti ratio non conſtabit. Tumidiſſimum animal! ſi illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur perſonarũ ac dignitatũ ratio. Et cum ſit utrim-

que virtutis modus, æque peccat quod excidit, quàm quod defecit.

Duo servi.

TRadunt Historici cū obsideretur Adrumetum, & jam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostē transfugisse, & operæ pretium fecisse. Deinde urbe capta, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua servierant, præcurrisse, & dominam suam ante se egisse, & quęrentibus quęnam esset, dominam & quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse, eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira cōsideret. Deinde ut satiatus miles ad Romanos mores cito rediit, illos quoque ad suos rediisse, & dominam sibi ipsis dedisse. Manumisit utrūque è vestigio illa: nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset.

Servus Pauli

SVb Tiberio Cæseare fuit accusandi frequens, & pæne publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatē confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium: nihil erat tutum. Omnis sęviendi placebat occasio. Nec jam

reorum, exspectabatur eventus, cum esset unus. Cęnabat Paulus Prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberij Cæsaris habens, ectypam & eminente gemma. Sumpsit matellam. Quod simul factum, & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus ejus cui nectebantur insidiæ, ei ebrio anulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse imaginē obscenis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus anulum.

Rufus.

RVfus vir ordinis senatorij inter cęnam optaverat, ne Cæsar salvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat: & adjecerat idem omnes & tauros & vitulos optare. Fuerunt qui illa diligēter audirent. Vt primum diluxit, servus qui cęnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cęnam ebrius dixisset. Hortatur eum, ut Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Vsus consilio, descendenti Augusto occurrit. Et cum malam mentem habuisse se pridie jurasset, id ut in se & filios suos recideret, optavit; & Cæsarem ut ignosceret sibi, rediretque in gratiam secum, rogavit. Cū dixisset se Cæsar facere: Nemo inquit, cre-

det te mecum in gratiam rediisse, nisi aliquid mihi donaveris: petitque non fastidiendam à propitio summam, & impetravit. Cæsar ait: Mea caussa dabo operam, ne unquam tibi irascar. Honestè Cæsar, quod ignovit, quod liberalitatem clementiæ adjecit.

Ingratus hospes.

PHilippus Macedonum rex habebat militem manu fortem, cujus in multis expeditionibus utilem expertus operam, subinde ex præda aliquid illi virtutis causa donaverat, & hominem venalis animę crebris auctoramentis accendebat Hic naufragus in possessiones cujusdam Macedonis expulsus est. Quod ut Macedoni illi nuntiatum est, accurrit, spiritum ejus recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, affectum semianimemq; recreavit diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit, subinde dicentem: Gratiam tibi referam, videre tantum mihi imperatorem meũ contingat. Narravit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit, & protinus petijt, ut sibi prędia cujusdam donaret. Ille quidem erat hospes ejus, is ipse, à quo receptus erat, à quo sanatus. Multa reges, in bello præsertim

tim, opertis oculis donant. Non sufficit, homo justus unus tot armatis cupiditatib. Non potest quisquam eodem tempore & bonum virum & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum insatiabilia satiabuntur? Quid habebunt si quisque suum habuerit? Hoc Philippus sibi dixit, cum illum induci in bona quæ petebat jussit. expulsis bonis suis ille, non ut rusticus, injuriam tacitus tulit, contentus quod non & ipse donatus esset: sed Philippo epistolam strictam & liberam scripsit: qua accepta ita exarsit, ut statim Pausaniæ mandaret, ut bona priori domino restitueret, ceterum improbissimo militi ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago, stigmata inscriberet, ingratum hospitem testantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illæ litteræ, sed insculperentur, qui hospitem suum, nudo & naufrago similem, in id in quo jacuerat ipse littus expulerat.

Pithagoricus quidam.

PYthagoricus quidam emerat à sutore phæcasia, rem magnam, non præsentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam rediturus: & cum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: Quid perdis operam tuam, Sutor ille, quem quæris, ela-

tus, combustus est: quod nobis fortasse molestum est, qui in æternum nostros amittimus; tibi minime, qui scis futurum ut renascatùr: jocatus in Pythagoricum. At Philosophus noster tres aut quatuor denarios (non invita manu) domum retulit subinde concutiens, deinde cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitã voluptatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam, & ait, ille tibi vivit, tu redde, quod debes: deinde per clostrum quà commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inservit, ac misit, pœnas à se exigens improbæ cubiditatis, ne alieno assuesceret.

Cn. Piso.

CN. Piso fuit memoria nostra vir à multis vitiis integer, sed pravus, & cui placebat, pro constantia rigor. Is cum iratus duci jussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit, damnatus extra vallum dictus est, & jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem jubet; damnatum ad Pisonem redu-

reducit, redditurus Pisoni innocentiam, nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur , complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum cōmilitones Conscendit tribunal furensPiso, ac jubet duci utrumque & eum militem qui non occiderat, & eum qui non perierat? Quid hoc indignius quia unus innocēs apparuerat, duo peribāt, Piso adjecit & tertium. Nam ipsum Centurionem, qui damnatū reduxerat, duci jussit, constituti sunt in eodē illo loco tres, ob unius innocentiam. O quam sollers est iracundia ad fingendas caussas furoris! Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es; Te, quia caussa damnationis cōmilitoni fuisti: Te, quia jussus occidere, Imperatori non paruisti. Excogitavit quēadmodum tria faceret crimina , quia nullum invenerat.

Tyrannicida.

TYrannicida imperfecto opere comprehensus, & ab Hippia tortus, ut conscios indicaret, circumstantes amicos tyranni nominavit, quibus quam maxime caram salutem ejus sciebat. Et cum ille singulos, ut nominati erant, occidi jussisset, interrogavit ecquis superesset? Tu inquit, solus: neminem enim alium, cui carus esses, reli-

qui. Effecit ita, ut tyrannus tyrannicidæ manus commodaret, & præsidia sua suo gladio cæderet.

Cambyses.

CAmbysen regem nimis deditum vino Proxaspes unus ex carissimis monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur. Ad hoc ille: Vt scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo jam & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius quã alias, capacioribus scyphis, & jam gravis & vinolentus, objurgatoris sui filium procedere ultra limẽ jubet, allevataque super caput sinistra manu stare. Tum intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoq; pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit! ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum interrogavit. At ille negavit Apollinem potuisse certius mittere. O regem cruentum & dignum in quem omnium suorum arcus verterentur! Tale quid suaserat eidem regi Harpagus, quo offensus, liberos illi epulandos apposuit, & subinde quæsiit, an placeret conditura. Deinde ut satis illum plenum suis

ma-

malis vidit, afferri capita illorum jussit, & quomodo esset acceptus interrogavit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit. Apud regẽ, inquit, omnis cœna jucunda est.

Lysimachus.

LYsimachus ab Alexandro irato leoni objectus, & felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc, cum ipse post mortem Alexandri regnaret, mitior non fuit. Nam Telesphorum Rhodium amicum suũm decurtatum, cum aures illi nasumque abscidisset, in cavea velut novum aliquod animal & insitatum diu pavit: cum oris detruncati mutilitatique deformitas humanam faciem perdidisset, accedebat fames & squalor & illuvies corporis, in stercore suo destituti, callosis super hæc genibus manibusque, quas in usum pedum angustiæ loci cogebant. Lateribus verò attritu exulceratis, non minus fœda quàm terribilis erat forma ejus visentibus. Factusque pœna sua monstrum, misericordiam quoque amiserat; tamen cum dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur, dissimilior erat qui faciebat.

Cambyses.

ÆThiopes, qui ob longissimũ vitæ spacium Macrobij appellantur, quia non

ſupinis manibus exceperant ſervitutem, miſſiſq; legatis libera reſponſa dederant, quæ cōtumelioſa reges vocant. in eos fremebat Cambyſes, & nō proviſis commeatibus, non exploratis itineribus, per invia, per arentia trahebat omnem bello utilem turbam: cui intra primum iter deerant neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis&inculta, humanoque ignota veſtigio regio. Suſtinebant famem primo tenerrima frondium, & cacumina arborum. Tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat. Poſtquam inter harenas radices & herbæ quoq; defecerant: apparuitque etiam inops animalium ſolitudo, decimumquemque ſortiti, alimentum habuerunt fame ſævius. Agebat adhuc ira regem præcipitem, cum partem exercitus amiſiſſet, partē comediſſet: donec timuit, ne & ipſe vocaretur ad ſortem, tum demum ſignum receptui dedit. Servabantur interim illi generoſæ aves, & inſtrumenta epulorum camelis vehebantur, cum ſortirentur milites ejus, quis malè periret, quis pejus viveret.

Cyrus.

CVm Babylonem oppugnaturus feſtinaret ad bellum, cujus maxima momenta in

ta in occasionibus sunt, Gynden latè fusum amnẽ vado transire tentavit; quod vix tutum, etiam cum sensit æstatem, & ad minimum deductus est. Ibi unus ex his equis qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commovit regem. Iuravit itaque amnem illum regiis equis meatum auferentem, eo se redacturum, ut transiri calcarique etiam à feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tamdiu assedit operi, donec centum & octoginta cuniculis divisum alveum in trecentos & sexaginta rivos dispergeret, & siccum relinqueret in diversum fluentibus aquis. Perijt itaque & tempus, magna in vanis rebus jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

Antigonus.

DVo manipulares incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines periculosissimè & libentissimè faciunt: de rege suo male existimabant, male loquebantur. Audierat omnia Antigonus, utpote cum inter dicentes & audientem palla interesset: quam ille leniter commovit,

&, Longius, inquit, discedite. ne vos rex audiat. Idem quadã nocte cũ quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos qui maxime laborabant: & cum ignorantes à quo adjuvarentur, explicuisset: Nunc, inquit, maledicite Antigono, cujus vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Idem tam miti animo hostium suorum maledicta, quàm civium tulit. Itaque cum in parvulo quodã castello Græci obsiderentur, & fiducia sui contemnentes hostem multas in deformitatem Antigoni jocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni spero: in castris meis Silenum habeo. Cum hos dicaces fame domuisset, captis sic usus est, ut eos qui militiæ utiles erãt, in cohortes describeret, cæteros præconi subijceret, id quoq; negavit se facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malàm haberent linguam.

Philippus.

IN Philippo patre Alexandri magni summa fuit patientia contumeliarum, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochates

chates ad illum, *Parrhesiastes* ob nimiam& procacem linguam appellatus, inter alios Athenienſium legatos venerat. Audita benignè legatione Philippus; Dicite, inquit, mihi facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratum? Excepit Demochates: Te, inquit ſuſpendere. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt: quos Philippus conticeſcere juſſit, & Therſiten illum ſalvum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nuntiate Athenienſibus, multo ſuperbiores eſſe qui iſta dicunt, quàm qui impune dicta audiunt.

Auguſtus Cæſar.

Multa Auguſtus digna memoria fecit, dixitq; quibus appareat iram illi non imperaſſe. Timagenes hiſtoriarum ſcriptor quædam in ipſum, quædã in uxorem ejus, & in totam domum ejus dixerat, nec perdiderat dicta: magis enim circumfertur, & in ore hominum eſt temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæſar monuit, ut moderatius lingua uteretur, perſeveranti domo ſua interdixit. Poſtea Timagenes in contubernio Pollionis Aſinii conſenuit ac tota civitate dilectus eſt. nullum illi limen præcluſa Cæſaris domus abſtulit. Hi-

ſtorias poſtea quas ſcripſerat, recitavit, & combuſſit, & libros acta Cæſaris continẽtes in ignem poſuit. Inimicitias geſſit cum Cæſare: nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quaſi fulguritum refugit. Fuit qui præberet tam altè cadenti ſinum. Tulit hoc ut dixi, Cæſar patienter, ne eo quidem motus quod laudibus ſuis rebuſq; geſtis manus attulerat. Numquam cũ hoſpite inimici ſui queſtus eſt: hoc dumtaxat Pollioni dixit, Feram alis. Paranti demum excuſationẽ, obſtitit, Fruere, inquit, mi Pollio fruere. Et cum Pollio diceret: ſi jubes, Cęſar, ſtatim illi domũ meam interdicam. Hoc me inquit, putas factum cum ego vos in gratiam reduxerim? Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus: nec ullam aliam habuerat cauſſam deſinendi, quàm quod Cæſar cœperat.

Cato.

CAto, cauſam illi agenti, cum in frontem mediam quantum poterat attracta pingui ſaliva inſpuiſſet, Lẽtulus homo factioſus & impotens, abſterſit faciem, & Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos qui ne negant te os habere.

Augustus.

CVM Augustus cænaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus ex servis ejus crystalinum. Ad mortem rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte:murænis obiici jubebatur, quas ingẽs piscina continebat, quas humano sanguine saginabat. Homo mille mortibus dignus,sive devorandos servos obiiciebat murænis,quas esurus erat; sive in hoc tantum illas aleret, ut sic aleret. Evasit é manibus puer, & confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus,quàm ut aliter periret nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi jussit, complerique piscinam.

Vidua quædam.

MAtrona quædam Ephesi tam notæ erat pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium feminas ad sui spectaculũ evocaret. Hæc ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus,aut nudatum pectus in conspectu freqentiæ plangere,in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypagæo Græco more corpus custodire ac flere

flere totis noctibus diebusque cœpit. Sic affligantem sese, ac mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui, magistratus ultimo repulsi abierunt, complorataque singularis exempli femina ab omnibus, quintum jam diem sine alimento trahebat. Assidebat ægræ fidissima ancilla simulque & lacrymas commendabat lugenti, & quoties defecerat, positum in monumento lumen renovabat. Vna igitur in tota civitate fabula erat, & solum illud adfulsisse verum pudicitiæ, amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur. Cum interim imperator provinciæ latrones jussit crucibus affigi, secundum illam eandē casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. Proxima ergo nocte cum miles qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi & lumen inter monumenta clarius fulgens, & gemitum lugentis audisset; vitio gentis humanæ concupiit scire, quis aut quid faceret. Descendit igitur in conditorium, visaque pulcerrima muliere, primo quasi quodam monstro, infernisque imaginibus turbatus substitit: deinde ut & corpus jacentis conspexit, & lacrymas considera-vit, faciemque unguibus sectam, ratus scilicet

licet quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati; attulit in monumentum cœnulam suam, cœpitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore super vacuo, &nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem esse exitum: sed & idem domicilium, & cetera, quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. At illa ignota consolatione percussa, laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentis posuit. Non recessit tamen miles, sed eadem exhortatione tentavit dare mulierculæ cibũ, donec ancilla vini certè ab eo odore corrupta, primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis manum; deinde refecta potione & cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit, &. Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta media fueris? si te vivam sepelieris? si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?

Id cinerem aut manes credis curare sepultos?

Vis tu reviviscere reluctantibus fatis extinctum; vis discusso muliebri errore, quam diu licuerit, lucis commodis frui? ipsum te jacentis corpus admonere debet, ut vivas. Nemo invitus audit, cum cogitur aut cibum sumere, aut vivere. Itaque mulier ali-

aliquot dierum abſtinentia ſicca, paſſa eſt frangi pertinaciam ſuam: nec minus avidè replevit ſe cibo, quàm ancilla, quæ prior victa eſt, Ceterum quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vivere vellet, iiſdem etiam de matrimonio eam aggreſſus eſt. Nec deformis aut infacundus juvenis caſtæ videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac ſubinde dicentis.

— ——— *Placitone etiam pugnabis amori?*
Nec venit in mentem quorum conſederis arvis?

Quid verbis opus eſt? ne hoc quidem mulier recuſavit, victorque miles utrumque perſuaſit. Fuerunt ergo unà, non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, ſed poſtero etiam ac tertio die, præcluſis conditorij foribus, ut quiſque ex notis ignotiſque ad monumentum veniſſet, putaſſet exſpiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam uxorem. Ceterum delectatus miles & forma mulieris & ſecreto, quidquid boni per facultates poterat, coëmebat, & prima ſtatim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam cuſtodiam, detraxere nocte pendentem, ſupremoque mandaverunt officio. At miles circumſcriptus dum deſidet, ut poſtero die vidit unam ſine cadavere crucem, veritus ſup-

ſupplicium, mulieri quid accidiſſet, exponit; nec ſe exſpectaturum judicis ſententiam, ſed gladio jus dicturum ignaviæ ſuæ: commodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium ſibi marito alteri faceret. Mulier nô minus miſericors, quàm pudica; Nec iſtud, inquit dii ſinant, ut eodem tempore duorum mihi cariſſimorũ hominum duo funera ſpectem: malo mortuum impendere: quàm vivum occidere. Secundum hanc orationem, jubet corpus mariti ſui tolli ex arca, atque illi, quæ vacabat, cruci affigi. Vſus eſt miles ingenio prudentiſſimæ feminæ; poſteroque die populus miratus eſt, qua ratione mortuus iſſet in crucem.

LEMNISCI HISTORIARVM, Narrationum, Fabularum &c. ex variis auctoribus collecti.

LIBER TERTIVS.

Canius Iulus.

CAnius Iulus, vir inprimis magnus, cum C. Caligula Cæſare diu altercatus, poſtquam abeunti ille dixit: Ne forte inepta ſpe tibi blandiaris, duci te juſſi: Gratias, inquit, ago optime princeps. Quid ſenſerit dubito,

bito. Multa enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse voluit, & ostendere quanta crudelitas esset, in qua mors beneficium erat. An exprobravit illi quotidianã clementiam? Agebant enim gratias & quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erãt. An tanquam libertatẽ libenter accepit? Quidquid est, magno animo respondit. Dicet aliquis: Potuit post hæc jubere illum Cajus vivere. Non timuit hoc Canius. Nota erat Caij in talibus imperijs fides. Credisne illũ decem medios usque ad suppliciũ dies sine ulla sollicitudine exegisse? Veri simile non est, quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit, Ludebat latrunculis, cum centurio agmẽ periturorum trahens, & illum quoque citari jubet, vocatus numeravit calculos, & sodali suo; Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens Centurioni: Testis, inquit, eris, uno me antecedere. Lusisse tu Caniũ illa tabula putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid mœsti, inquit estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint. Ego jam sciam. Nec desijt in ipso veritatem fine scrutari, & ex more suo questionem habere, Prosequebatur illum philosophus suus: nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari

ſari deo noſtro fiebat quot tidianum ſacrū. Quid inquit, Cani, nunc cogitas? aut quæ tibi mens eſt? Obſervare, inquit Canius, propoſui illo velociſſimo momento, an ſenſurus ſit animus, exire ſe: promiſitque, ſi quid exploraſſet, circumiturum amicos, & indicaturum quis eſſet animarum ſtatus. Ecce in media tēpeſtate tranquillitas: ecce animus immortalitate dignus, qui fatū ſuum in argumentū veri vocat, qui in ultimo illo gradu poſitus, exeuntem animam percunctatur, nec uſque ad mortem tantum, ſed aliquid etiam ex ipſa morte diſcit.

Hiſtoria de cane quodam,

AGreſtis Corſus ſolū ſolus eduxit canem ad venatum, ejus fretus cogita & fide & ferocia. Scorpione atque ſagittis oneratus, gladio ſuccinctus, per urſi veſtigia jugum ſuperat, ubi in ſummo vertice montis conſtitit, tametſi alieno anni tempore, propter naturam loci, magna vis nivium increbreſcere. Ille amentia fervidus nihilo ſegnius cœpta ſequi. Obrutus tandē ſemitarum notis, ut credere par eſt, incertis primum itineribus mox opſeſſis, deſperata præda & reditu, ſedit in rupe feſſus. Poſtridie fratres duo cum familiaribus, rati

hominem à feris interceptum, coacta vicinorum manu, alij aliò discurrere cœperunt, atque magnis clamoribus evocare. Qui locum, in quo miser cõsederat, nacti fuere, illum conspectum procul, atque è vestigio appellatum ubi neque responsum dare, neque motum efficere viderent (diriguerat ibi gelu, haud magno sane flagitio: latrones enim omnes sunt) propius accessere, ut quod reliqui factum fuerat à fortuna, saltem cadavere potirentur. Qui canis ineptam fidem pene vitæ periculo sunt experti. Excubabat superstes ille, ac tanquam stipator imminebat ferocia eventui futuro. In eos igitur, & quibus notus ipse, & quos habebat notos, quasi venissent furatum dominum, tanto impetu sese intulit, ut prostraverit aliquot, unum aut alterum pene lacerarit, ceteros in fugam converterit. Quin ne fratrũ quidem superventu quorum tamen è manibus sæpe sumpserat cibum, lenior aut commodior factus est. Neque prius destitit à pertinaci defensione, quàm sagittis confossus, simul cum fide atque inani pervicacia ad heri genua vitam deposuit.

Alia

Alia historia de cane.

OFfensus amici sive potētia sive perfidia quidam Regis Galliarum aulicus, eum ex insidiis obtruncat, atque in avio agro sepelit. Venaticus canis ibi tū forte comes hero fuerat. Is amore victus, diu sedit in tumulo. Postea quam fames pietatem superavit, atque in aulam sine domino reversus est, rati illius contubernales, bestiā temere vagari, cibum dari jubent. Satur ille ad tumulum redit. It, redit toties, ut primū suspicio invaderet animos incerta quædam & fluctuans, mox etiam certi esse sibi viderentur, heri id fieri desiderio. Abeuntem prosecuti, deprehenso telluris tumore, effossum cadaver atque agnitum afficiunt sepultura. Canis, exsequiis peractis, socius fit eorum, quibus dux fuerat ad investigandum. Tandem aliquando in aulā ubi homicida rediisset, eum canis conspicatus magnis ilico editis latratibus, ægrè abimpetu cohibetur. quo tādē indice aucta suspicio in multorū animis certa fiducia evasit. Ceterum bestiæ perseverantia in illius odio atque persecutione etiam regem movit ut juberet hominē causam dicere, Ille negare factum, persistere inficiatione, Canis ejus orationem latratibus

bus atque assultibus obturbare, ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant, interpretarentur. Eò res deducta est, ut jussu regis homicida cum provocatore singulari certamine dimicaret.

De Gordij nodo.

ALexander, cum in Phrygia Dario bellum pararet. & Gelænarum urbem in potestatem suam redegisset, Iovis templũ intrat, vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum esse constabat, adspexit, cultu haud sanè à vilioribus vulgatisq;usu abhorrens. Notabile erat vinculum adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, & celantibus nexus, Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiâ potiturum qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit animo sortis ejus explendæ. Circa Regem erat & Phrygum turba, & Macedonum; illa explicatione suspensa, hæc solicita ex temeraria regis fiducia, quippe series vinculorum erat ita adstricta, ut unde nexus inciperet quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posset. Solvere aggressus injecerat curam ne in omen verteretur irritum cœptum, Ille nequicquam

quam diu luctatus cum latentibus nodis, Nihil, inquit, interest, quomodo solvantur, gladioque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel elusit, vel implevit.

Alexander. Philippus medicus.

MEdiam Cydnus amnis interfluit, æstas erat, cujus calor non aliam magis, quã Ciliciæ oram vapore solis accendit, & diei fervidissimũ tempus cœperat. Pulvere ac sudore simul perfusum regem Alexandrũ ad Darium tendẽtem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque, veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum) descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus rigere cœperunt, pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor liquit, exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mẽtis in tabernaculum deferunt. Ingens solicitudo & pene jam luctus in castris erat. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem non in acie saltem, nõ ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus, ereptum esse & extinctum; instare

Darium, victorem antequam vidiſſet hoſtem, ſibi eaſdē terras, quas victores peragraſſent, repetendas, omnia aut ipſos, aut hoſtes populatos, per vaſtas ſolitudines etiamſi nemo inſequi velit, euntes fame atque innopia debellari poſſe, quem ſignum daturum fugientibus? quem auſurum Alexandro ſuccedere? Iam ut ad Helleſpontum fuga penetrarent, claſſem, qua tranſeant quem præparaturum? Rurſus in ipſum regem miſericordia verſa, illum florē juventæ illum vim animi, eundem regem & commilitonem divelli à ſe & abripi, immemores ſui, querebantur. Inter hæc liberius meare ſpiritu cœperat, allevabat rex oculos, & paulatim redeunte animo, circumſtantes amicos agnoverat, laxataque vis morbi ad hoc ſolum videbatur, quia magnitudinem mali ſentiebat, animum autem ægritudo corporis urgebat, quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur. Vinctū ergo ſe tradi & tantam victoriam eripi ſibi à manibus, obſcuraque & ignobili morte in tabernaculo extingui ſe querebatur, admiſſiſque amicis pariter & medicis, In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehēderit cernitis, ſtrepitum hoſtilium armorum exaudire mihi videor,

& qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo cum nuper superbas litteras scriberet, fortunam meam in consilio habuit, sed nequicquã si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia & segnes medicos non exspectant tempora mea. Vel mori strenuè, qnàm tarde convalescere mihi melius est. Proinde si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quàm bélli remedium quærere. Ingentem omnibus incusserat metũ tam preceps temeritas; Ergo pro se quisque precari cœpere, ne festinatione periculũ augeret, sed esset in potestate medentium. Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, cum ad perniciem ejus etiã à latere ipsius pecunia solicitaret hostis: quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquã arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum. Erat inter nobiles medicos è Macedonia regem secutus philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi puero comes, & custos salutis datus, non ut regem modo sed etiam ut alumnum eximia charitate diligebat. Is non præceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi

potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, præter ipsum, cujus periculo pollicebatur; Omnia quippe facilius, quam moram perpeti poterat; Arma & acies in oculis erant, & victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare potuisset; id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat) ægre ferens. Inter hæc à Parmenione fidissimo purpuratorũ literas accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem suam Philippo committeret, mille talentis à Dario & spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum. Ingentem animo solicitudinem literæ incusserant, & quicquid in utramque partem, aut metus, aut spes subjecerat, secreta æstimatione pensabat. Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem quicquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est, alieno me mori scelere, quàm metu nostro. Diu animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset enunciat, epistolamque sigillo annuli sui impresso, pulvino cui incubabat subjecit. Inter has cogitationes biduo absumpto, illuxit à medico destinatus dies, Et ille cũ

poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum; epiſtolam à Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens, accipit poculum, & haurit interritus: tum epiſtolam Philippum legere jubet, nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendere. Ille, epiſtola perlecta, plus indignationis, quàm pavoris oſtendit, projectiſque amiculo & literis ante lectum. Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc verè arbitror ſacro & venerabili ore trahitur, crimen parricidij, quod mihi objectum eſt, tua ſalus diluet, ſervatus à me, vitam mihi dederis: oro quæſoque, omiſſo metu patere medicamentum cōcipi venis, laxa pauliſper animum; quem intempeſtiva ſolicitudine amici ſanè fideles, ſed moleſtè ſeduli turbant. Nō ſecurum modo hæc vox, ſed etiam lætum regem, ac plenum bonæ ſpei fecit. Itaque ſi dij, inquit, Philippe tibi permiſiſſent, quo maxime modo velles animum experiri meum. alio profecto voluiſſes, ſed certiore, quàm expertus es, ne optaſſes quidem; Hac epiſtola accepta, tamen quod dilueras bibi, & nunc credo te non minus pro tua fide, quàm pro mea ſalute eſſe ſolici-

tum. Hæc elacutus dextram Philipo ſop, ſert. Cæterum tanta vis medicamenti fuit ut quæ ſecuta ſunt, criminationem Parmenionis adjuverint, interclusus ſpiritus arctè meabat, nec Philippus quicquam inexpertum omiſit. Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque ut primum mentis compotem eſſe ſenſit, modo matris ſororumque, modo appropinquantis tantæ victoriæ admonere non deſtitit. Vt vero medicamentum ſe diffudit in venas, ſenſim toto corpore ſalubritas percipi potuit; primum animus vigorem ſuum, deinde corpus quoque exſpectatione maturius recuperavit, quippe poſt tertium diem, quàm in hoc ſtatu fuerat, in conſpectum militum venit, nec avidius ipſũ regem, quàm Philippum intuebatur exercitus, pro ſe quiſque dexteram ejus amplexi, grates habebant, velut præſenti Deo.

Babylon.

VRbem Babylonem Semiramis cõdidit, vel (ut plerique credidere) Belus, cujus regia oſtenditur. Muris inſtructus latercul o coctili bitumine interlitus, ſpatium triginta & duorum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter ſe occurrentes ſine

ne periculo commeare dicuntur, altitudo muri quinquaginta cubitorum eminet spatio, turres denis pedibus, quàm murus, altiores sunt. Totius operis ambitus trecẽta sexaginta octo stadia complectitur singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memorię proditum est. Ædificia non sunt admota muris, sed ferè unius spatiũ jugeri absunt. Ac ne totã quidẽ urbem tectis occupaverunt, per nonaginta stadia habitatur, nec omnia contigua sunt: credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cætera serunt coluntque, ut si extrema vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrent, Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernæ ingentes, in altitudinem pressæ ad accipiendum impetum fluminis, quod ubi appositæ crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque qui exciperent. Coctili laterculo structi sũt, totum opus bitumine astringitur. Pons lapideus flumini impositus jungit urbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est, quippe Euphrates altũ limũ vehit, quo penitus ad fundamẽta jacienda egesto, vix sufficiendo operi firmum,
 repe-

reperiunt solum. Arenæ autem subinde cumulatę, & saxis quibus pons sustinetur annixæ, morantur amnem; qui retentus, acrius quàm si libero cursu mearet, illiditur. Arcē quoq; ambitu viginti stadia cōplexam habet: triginta pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt; ad octoginta summum munimenti fastigium pervenit. Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem æquantes multarumque arborum umbra & proceritate amœni. Saxeæ pilæ, quæ totum onus sustinent instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam injiciunt, & humoris quo rigant, adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum octo cubitorum spacium crassitudine æquent, in qinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æque sint, ac si terra sua alerentur. Et quum vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe viginti lati parietes sustinent undecim pedū intervallo distantes, ut procul visentibus silvæ montibus

suis

ſuis imminere videantur. Syriæregem Babylone regnantem hoc opus eſſe molitum memoriæ proditum eſt, amore conjugis victum, quæ deſiderio nemorum ſylvarumque in campeſtribus locis, virum cõpulit naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.

Zioberis amnis.

IN Hyrcania ex radicib⁹ montiũ Zioberis amnis effunditur, qui tria fere ſtadia in longitudinem univerſus fluit, deinde ſaxo quod alveolum interpolat, repercuſſus, duo itinera, velut diſpenſatis aquis, aperit. Inde torrens, & ſaxorum, per quæ incurrit. aſperitate violentior, terram præceps ſubit. Per trecenta ſtadia conditus labitur, rurſuſque velut ex alio fonte conceptus editur, & novum alveum intendit, priore ſui parte ſpacioſior, quippe in latitudinem tredecim ſtadiorum diffunditur: rurſuſq; anguſtioribus coërcitus ripis iter cogit: tandem in alterum amnem cadit, cui Rhidago nomẽ eſt, Incolæ affirmant, quæcunque demiſſa ſint in cavernam, quæ propior eſt fontem, rurſus ubi aliud os amnis aperitur, exiſtere, itaque aliquando Alexander Magnus duos tauros, quà ſubeunt aquæ terram, præcipitari juſſit; quorum

rum corpora, ubi rurſus erumpi expulſa videre qui miſſi erant ut exciperent,

Alexander Magnus.

CVm Alexander Magnus ad oppidũ Oxydracarum perveniſſet, in quod plerique Indi vicini confugerant, haud majore fiducia mœnium, quàm armorum, jamque admoveret, vates monere eum cæpit, ne committeret, aut certè differret obſidionem, vitæ ejus periculum oſtendi. Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens: Si quis, inquit, te arti tuæ intentum, & exta ſpectantem ſic interpellet, non dubitem, quin incommodus ac moleſtus videri tibi poſſit. Et cum ille ita prorſus futurum reſpondiſſet: Cenſeſne, inquit, tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti ullum eſſe majus impedimentum quã vatẽ ſuperſtitione captum? nec diutius quam reſpondit moratus, admoveri jubet ſcalas, cunctantibuſque cæteris, evadit in murum. Anguſta muri corona erat, non pinnæ, ſicut alibi, faſtigium ejus diſtinxerant, ſed perpetua lorica obducta tranſitum ſepſerat. Itaque rex hærebat magis quàm ſtabat in margine, clypeo undique incidentia tela propulſans. Nam undique eminus ex turribus petebatur, Nec ſubire

milites

milites poterant, quia supernè vi telorum obruebantur. Tandem magnitudinem periculi pudor vicit; quippe cernebant cunctatione sua dedi hostibus regem. Sed festinando morabantur auxilia. Nam dum pro se quisque certat evadere, oneravere scalas: queis non sufficientibus, devoluti, unicā spem regis fefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus, velut in solitudine destitutus. Iamque lævam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassaverat, clamantibus amicis ut ad ipsos desiliret, stabantque excepturi: cum ille rem ausus est incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ insignem. Namque in urbem hostium plenam præcipiti saltu semet ipse immisit, cum vix sperare posset, dimicantem certò & non inultum moriturum; quippe antequam assurgeret, opprimi poterat, & capi vivus; sed forte ita libraverat corpus, ut se pedibus exciperet. Itaque stans init pugnam, & ne circuiri posset, fortuna providerat. Vetusta arbor haud procul muro, ramos multa fronde vestitos velut de industria regem protegentes objecerat. Hujus spatioso stipiti corpus, ne circuiri posset, applicuit, clypeo tela quæ ex adverso ingerebantur excipiens. Nam cum unum

procul tot manus peterent, nemo tamen propius audebat accedere. Missilia ramis plura, quàm clypeo incidebant. Pugnabat pro rege primum celebrati nominis fama, deinde desperatio, magnū ad honestè moriendum incitamentum, sed cum subinde hostis afflueret, jam ingentem vim telorum exceperat clypeo, jam galeam saxa perfregerant, jam continuo labore gravia genua succiderant. Itaque contemptim & incautè, qui proximi steterāt, incurrerunt, è quibus duos gladio ita excepit, ut ante ipsum exanimes procumberent. Nec cuiquam deinde propius incessendi eum animus fuit. Procul jacula sagittasque mittebant. Ille ad omnes ictus expositus, ægrè jam exceptum poplitibus corpus tuebatur, donec Indus duorum cubitorum sagittam (namque Indis hujus magnitudinis sagittæ erant) ita excussit, ut per thoracem paulum super latus dextrum infigeretur. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante remisit arma, moribundo similis, adeoque resoelutus, ut ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra. Itaque ad exspoliandum corpus, qui vulneraverat alacer gaudio accurrit. Quem ut injicere corpori suo manus sensit, credo ultimi dedecoris indignitate commotus linquentē

revocavit

revocavit animum, & nudum hostis latus subjecto mucrone hausit. Iacebãt circa regem tria corpora, procul stupentibus cæteris. Illũ ut, antequã ultimus spiritus deficeret, dimicans jã extingueretur, clypeo se allevare conatus est, & postquam ad connitendum nihil supererat viriũ, dextra impendentes ramos complexus, tentabat assurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit, manu provocans hostes, si quis congredi auderet. Tandem Peucestes per aliam oppidi partem, deturbatis propugnatoribus muri vestigia persequens, supervenit. Quo conspecto, Alexander jam non vitæ suæ, sed morti solatium supervenisse ratus, clypeo fatigatum corpus excepit.

Subit inde Timæus, & Paulo post Leonatus, huic Aristonus supervenit. Indi quoque cum intra mœnia regem esse compepissent, omissis cæteris illuc concurrerunt, urgebantque protegentes. Ex quibus Timæus, multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregiaq; pugna cecidit. Peucestes quoque tribus jaculis confossus, non se tamen scuto, sed regem tuebatur. Leonatus dum avidè ruentes Barbaros submovet, cervice graviter icta, semianimis procubuit ante regis pedes, Iam & Peu-

cestes vulneribus fatigatus submiserat clypeum. In Aristono spes ultima hærebat. Hic quoque graviter saucius, tantam vim hostium ultra sustinere non poterat. Inter hæc ad Macedones regem cecidisse fama perlata est. Terruisset alios, quod illos incitavit. Nā que periculi omnes immemores dolabris perfregere murum; & qua moliti erant aditum irrupere in urbem, Indosque plures fugientes, quàm congredi ausos, cecidere. Non senibus, non feminis, non infantibus parcitur. Quisquis occurrerat, ab illo vulneratum regem esse credebant. Tandem internecione hostium justæ iræ parentatum est. Rege in tabernaculum relato, medici lignum sagittæ corpori infixum ita ne spiculum moveretur, abscindunt. Corpore deinde nudato animadvertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quàm ut secando vulnus augerent. Cæterum ne secantes profluvium sanguinis occuparet, verebantur: quippe ingens telum adactum erat, & penetrasse in viscera videbatur. Critobulus inter medicos artis eximiæ, sed in tanto periculo territus, admoveri metuebat, ne in ipsius caput parū prosperæ curationis recideret eventus, lachrymantem eum ac metuentem & so-

licitudine propemodum exſanguem rex conſpexerat. Quid, inquit, quodue tempus exſpectas, & non quam primum hoc dolore me ſaltem moriturum liberas? An times ne reus ſis, cum inſanabile vulnus acceperim? At Critobulus tandem vel finito, vel diſſimulato metu hortari cum cœpit, ut ſe continendum præbeat, dum ſpiculum evelleret. Etiam levem corporis motum noxium fore. Rex, cum affirmaſſet, nihil opus eſſe iis qui ſe continerent, ſicut præceptum erat, ſine motu præbuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, & ſpiculo evulſo, ingens vis ſanguinis manare cœpit, linquique animo rex, & caligine oculis offuſa, veluti moribundus extendi. Cumque profluviũ medicamentis fruſtra inhiberent, clamor ſimul atque ploratus amicorum oritur, regem exſpiraſſe credentium. Tandem conſtitit ſanguis, paulatimque animum recepit, & circumſtantes cœpit agnoſcere. Toto eo die ac nocte quæ ſecuta eſt, armatus exercitus regiam obſedit, confeſſus omnes unius ſpiritu vivere. Nec prius receſſerunt, quam compertum eſt, ſomno pauliſper acquieſcere. Hinc certiorem ſpem ſalutis ejus in caſtra retulerunt.

Pagna

Pugna Tergeminorum.

INter Romanos & Albanos orto bello de summa imperii, atque eo in aliquot annos protracto, utriusque populi regum voluntate tandem inita ratio, ut sine magna clade & sine multo sanguine utri utris imperarent decerneretur. Forte in duobus tum exercitibus erant tergemini fratres, nec ætate nec viribus dispares Horatij, Curiatiique, hi Albani, illi Romani. Cum iis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro, ibi imperium fore, unde victoria fuerit, nihil recusatur: tempus & locus convenit. Priusquam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos & Albanos est his legibus, ut cujus populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdere icto, tergemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur, Deos patrios patriam ac parentes, quicquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma illorum intueri manus, feroces & suopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus, in mediũ inter duas acies procedunt. Consederant utrimque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quàm curæ expertes, quippe imperium agebatur

in tam

in tam paucorũ virtute atq; fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum, animo intenduntur. Datur signum; infestisque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: nec his nec illis periculum suum, sed publicum imperium servitiumque observatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Vt primo statim concursu arma crepuere, micantesque fulseregladii, horror ingens spectantes perstringit, & neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Confertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque & sanguis spectaculo essent: duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt. Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox, ergo ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Iam ali-

quantum ſpacii ex eo loco, ubi pugnatum eſt, aufugerat, eum reſpiciens videt magnis intervallis ſequentes, unum haud procul ab ſeſe abeſſe: in eum magno impetu rediit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, jam Horatius cæſo hoſte victor ſecundam pugnam petebat. Tum clamore, qualis ex inſperato faventium ſolet, Romani adjuvant militem ſuum: & ille defungi prœlio feſtinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit. Iamq; æquato marte ſinguli ſupererant, ſed nec ſpe nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant, alter feſſum vulnere, feſſum curſu trahens corpus, victuſque fratrum ante ſe ſtrage, victori objicitur hoſti: nec illud prœlium fuit. Romanus exſultans, Duos, inquit, fratrum manibus dedi: tertium cauſam belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male ſuſtinenti arma, gladium ſuperne jugulo defigit: jacentem ſpoliat; Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad ſepulturam inde ſuorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio

perio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti.

Menenij Agrippæ fabula

TEmpore quo in homine non ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo erat, indignatæ reliquæ partes sũt, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri. Ventrẽ in medio quietũ nihil aliud quàm datis voluptatibus frui. Conspirarunt inde, ne manus ad os cibũ ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ita dum ventrem fame domare volunt, ipsa unà membra totumque corpus ad extremam tabem venerunt. Inde apparuit ventris quoq; haud segne ministerum esse, nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc quo vivimus vigemusque divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem.

Expugnatio urbis Veiorum.

VEjorũ urbs opulentissima Hetrusci nominis, decem æstates hymesque continuas circumsessa, cum plus aliquanto cladium intulisset quàm accepisset, postremo jam fœto urgente, operibus, non vi expugnata

gnata est. Operum fuit omnium longe maximum ac laboriosissimum cuniculus in arcem hostium actus, quo perfecto Camillus, qui Vejos obsederat. urbem ab omnibus locis agreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. Veientes nihil minus timentes quàm subrutis cuniculo mœnibus, arcem jam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt; mirantes quidnam id esset, quod cum per multos dies nemo se ab stationibus Romanis movisset, tum velut repentino icti furore, improvidi currerent ad muros.

Cuniculis delectis militibus plenis in æde Iunonis, quæ in arce Veientana erat, armatos repentè edidit, & par taversos in muris invadũt hostes pars claustra portarum revellunt: pars cum ex tectis saxa tegulæque à mulieribus ac servitiis jacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus, misto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis dejectis ex muro undique armatis, patefactisque portis, cum alii agmine irruerent, alii desertos scanderent muros urbs hostibus impletur: omnibus locis pugnatur. Deinde multa jam edita cæde, senescit pugna, & dictator

Camil-

Camillus præcones edicere jubet, ut ab inermi abstineatur, is finis sanguinis fuit de inde inermes cæpti: & ad prædam miles permissu dictatoris discurrit, quæ cum ante oculos ejus aliquantum spe atque opinione major majorisque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cælũ tollens precatus esse, ut si cui Deorum hominumque nimia sua fortuna populiq; Romani videretur, ut eam invidiam lenire quàm minimo suo privato incommodo, publicoque Romani populi liceret con vertentemque inter hanc venerationem, traditur memoriæ, prolapsum cecidisse, idque omen pertinuisse postea eventu rẽ conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli: captæ deinde urbis Romanæ, quod post paucos accidit annos. Atque ille dies cæde hostium & direptione urbis opulentissima est consumptus. Postero die libera corpora dictator sub corona vẽdidit.

Hercules.

HErculẽ in Latium, Geryone interempto, boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, quà præ se armentum agens nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo læto reficeret

ceret boves, & ipſum feſſum via procubuiſſe. Ibi cum eum cibo vinoque gravatū ſopor oppreſſiſſet, paſtor accola ejus loci nomine Cacus, ferox viribus, captus pulcritudine boum, cum avertere eam prædam vellet: quia, ſi agendo armentum in ſpeluncam compuliſſet, ipſa veſtigia quærentem dominum eò deductura erant, àverſos boves, eximium quemque pulcritudine, caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram ſomno excitus, cum gregem perluſtraſſet oculis, & partē abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximā ſpeluncam, ſi fortè eò veſtigia ferrent; quæ ubi omnia foras verſa vidit, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere porrò armentum occœpit. Inde cùm actæ boves quædam ad deſiderium, ut fit, relictarum mugiſſent, reddita incluſarū ex ſpelunca boum vox Herculem convertit, quem cum vadentem ad ſpeluncā Cacus prohibere vi conatus eſſet, ictus clava, fidem paſtorum nequicquam invocans, morte occubuit. Euāder tum ea, profugus ex Peloponeſo, auctoritate magis quam imperio regebat loca: venerabilis vir miraculo litterarum, rei novæ inter rudes artium homines: venerabilior divinitate credita Carmentæ

matris

matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant. Is tum Evander concursu pastorum trepidantium circa advenam manifestæ reum cædis excitus, postquam facinus facinorisque causam audivit, habitum formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens, rogitat, qui vir esset. Vbi nomen patremque ac patriam accepit: Iove nate Hercules salve, inquit, te mihi mater vericida interpres Deum aucturum cœlestium numerum cecinit, tibique aram hic dicatum iri, quã opulentissima olim in terris gens Maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturumque fata, ara condita atque dicata, ait. Ibi tum primum bove eximia capta de grege, sacrum, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis (quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant) factum. Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præsiò essent, iisque exta apponerentur: Pinarii extis adesis, ad cæteram venirẽt dapem. Inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus vescerentur. Potitii ab Evandro edocti, antistites sacri ejus per multas ætates fuere, donec traditis servis publicis

ſolenni familiæ miniſterio, genus omne Potitiorum interiit.

C. *Mutius Scævola.*

CUm Porſena rex Hetruſcorum Romã obſediſſet arctiſſimè, & frumenti eſſet cum ſumma caritate inopia, Mutio adoleſcenti nobili indignum viſum populum liberum obſideri ab iis, quorũ ſæpe exercitus fuderat. Itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo ſua ſponte penetrare in hoſtium caſtra conſtituit: dein metuens ne ſi conſulum injuſſu, & ignaris omnibus iret, forte deprehenſus à cuſtodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortuna tum urbis crimen affirmante, Senatum adiit. Tranſire Tiberim, inquit, patres, & intrare, ſi poſſum, caſtra hoſtium volo, non prædo, nec populationum invicem ultor, majus ſi dij juvant, in animo eſt facinus. Approbant Patres; abdito intra veſtem ferro proficiſcitur. Ubi eò venit, in confertiſſima turba prope regium tribunal conſtitit ibi cum ſtipendium fortè militibus daretur, & ſcriba cum rege ſedés pari fere ornatu multa ageret, eumq; milites vulgò adirent, timens ſciſcitari uter Porſena eſſet, ne ignorando regem, ſemet

ipſe

ipse aperiret quis esset, quò temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cũ concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis: destitutus tum quoq; inter tantas fortunæ minas, metuẽdus magis quam metuens: Romanus sum, inquit, civis: C. Murium vocant. hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est, quàm ad cædẽ fuit, & facere & pati fortia Romanum est. nec unus in te ego hos animos gessi longus post me ordo est idẽ petentium decus. proinde in hoc discrimẽ si juvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habes regiæ. Hoc tibi juventus romana indicimus bellum, nullam aciem, nullum prælium timueris, uni tibi & cum singulis res erit. Cum rex simul ira infensus periculoque, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi expromeret properè, quas insidiarum sibi minas per ambages jaceret: En tibi, inquit, ut sentias quam vile corpus sit iis qui magnã gloriam petunt, dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit. quam cum velut alienato ab sensu torreret animo, propè attonitus

miraculo rex, cum ab ſede ſua proſiluiſſet, amoverique ab altaribus juvenem juſſiſſet: Tu vero abi, inquit, in te magis quam in me hoſtilia auſus. juberem macte virtute eſſe, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret, nunc jure belli liberum te, intactum inviolatũque dimitto. Tum Mutius, quaſi remunerans meritum: Quandoquidem, inquit, eſt apud te virtuti honos ut beneficio tuleris à me, quod minis nequiſti, trecenti conjuravimus principes juvẽtutis, ut in te hac via graſſaremur, mea prima ſors fuit, cæteri, ut cuique ceciderit, primo, quod ad te oportunũ fortuna dederit, ſuo quiſque tempore aderunt. Mutium dimiſſum, cui poſtea Scævolæ à clade dextræ manus cognomen inditum, legati à Porſena Romam ſecuti ſunt. Adeo moverat eum & primi periculi caſus, quo nihil ſe præter errorem inſidiatoris texiſſet: & ſubeunda dimicatio toties, quod conjurati ſupereſſent, ut pacis conditiones ultro ferret Romanis.

Ludimagiſter proditor.

MOs erat Faliſcis eodem magiſtro liberorum & comite uti, ſimulque plures pueri, quod hodie quoque in multis populis manet, unius curæ demandabantur.

Obſidente Camillo; Falerios principum li-
beros, ſicut ferè fit, qui ſcientia videbantur
præcellere, erudiebat. Is cum in pace in-
ſtituiſſet pueros ante urbem luſus exercen-
dique cauſſa producere, nihil eo more per
belli tempus intermiſſo, dum modo bre-
vioribꝰ, modo longioribus ſpaciis trahen-
do eos à porta, luſu ſermonibuſque varia-
tis, longius ſolito, ubi res dedit, progreſſus,
inter ſtationes eos hoſtium, caſtraque inde
Romana in prætorium ad Camillum per-
duxit, ibi ſceleſto facinori ſceleſtiorem ſer-
monem addidit: Falerios ſe Romanis in
manus tradidiſſe, quando eos pueros, quo-
rum parentes capita ibi rerum ſint, in po-
teſtatē dediderit. Quæ ubi Camillus audi-
vit: non ad ſimilem, inquit, tui nec popu-
lum nec imperatorem ſceleſtus ipſe cum
ſceleſto munere veniſti, nobis cum Faliſ-
cis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt:
quam ingeneravit natura, utriuſque eſt, e-
ritque ſunt & belli ſicut pacis jura: juſteq;
ea nō minus quàm fortiter didicimus ge-
rere, arma habemus non adverſum eam
ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur,
ſed adverſus armatos, & ipſos qui nec læſi
nec laceſſiti à nobis caſtra Romana ad Ve-
jos oppugnarunt. Eos tu quantū in te fuit,
novo ſcelere viciſti: ego Romanis artibus,

virtute, opere, armis vincam. Denudatũ eum deinde, manibus post tergum illigatis, reducendum Faleris pueris tradidit: virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes dedit. At quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde à magistratibus de re nova vocato Senatu, tanta mutatio est animis injecta, ut qui modo efferati odio iraque exitium penè Vejorum quàm pacem mallent, apud eos pacem universa posceret civitas.

T. Manlii pietas.

DIes à Pomponio Tribuno dicta est L. Manlio Imperioso, Titi patri. Crimini ei inter cætera dabat, quod filium juvenem nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem atque ergastulum dederit: ubi summo loco natus dictatorius juvenis, quotidiana miseria disceret, verè imperioso patre natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit & lingua impromptus, quod naturæ damnum utrum nutriendum patri, si quidquam humani in eo esset, an castigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisset? ne mutas quidem belluas minus

nus alere & fovere, si quid ex progenie sua minus prosperum sit. At hercule L. Manlium malum malo augere filii, & tarditatem ingenii insuper premere: & si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti, & rustico cultu inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationib⁹ quàm ipsius juvenis, irritatus est animus, quin contra se quoque parenti causam invidiæ atque criminum esse ægrè passus, ut omnes homines scirēt se parenti opē latam quàm inimicis ejus malle, capit consilium rudis quidem atque agrestis animi, & quamquam non civilis exempli, tamen pietate laudabile. insciencibus cunctis cultro succinctus mane in urbem, atque à porta domum confestim ad Pomponium pergit, janitori opus esse sibi domino ejus convento extemplo ait, nuntiaret T. Manlium L. fil. esse, mox introductus (etenim percitum ira in patrem spes erat, aut criminis aliquid novi, aut consilii ad rem augendam deferre) salute accepta, redditaq; esse ait, quæ cū eo agere arbitris remotis velit. procul inde omnibus abire jussis cultrum stringit, & super lectū stans ferro intento, nisi quę ipse concepisset verba juraret, se patris ejus accusandi causa consilium plebis nunquam habiturum,

ſe eum extemplo transfixurum minatur. Pavidus tribunus (quippe qui ſerrum ante oculos micare ſe ſolum, inermem, illum prævalidum juvenem, & quod haud minus timendũ erat, ſtolidè ferocem viribus ſuis cerneret) adjurat in quæ adactus eſt verba. & præ ſe deinde tulit, ea vi ſubactum ſe incœpto deſtitiſſe, nec perinde ut maluiſſet plebs, ſibi ſuffragii ferendi de tam crudeli & ſuperbo reo poteſtatem fieri, ita ægre habuit filium id pro parente auſũ: eoque id laudabilius erat, quod animũ ejus tanta acerbitas patria nihil à pietate avertiſſet. Itaque non patri modo remiſſa cauſſæ dictio eſt, ſed ipſi etiam adoleſcenti ea res honori fuit.

T. *Manlius* T. F. *Manliana Imperia.*

BEllo Latino edixerãt Conſules Romani, ne quis extra ordinem in hoſtes pugnaret. Forte inter turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes miſſi erant, T. Manlius conſulis filius ſuper caſtra hoſtium cum ſuis turmalibus evaſit, ut vix teli jactu ab ſtatione proxima abeſſet, ibi Tuſculani erãt equites. præerat Geminius Metius, vir tũ genere inter ſuos, tum factis clarus, is ubi Romanos equites inſignemque inter eos præcedentem conſulis filium

(nam

(nam omnes inter se utique illustres viri noti erant) cognovit: Visne, inquit, congredi mecum, ut nostro duorum jam hinc eventu cernatur, quantũ eques Latinus Romano præstet. Movet ferocẽ animũ juvenis seu ira seu detractandi certaminis pudor, seu inexspectabilis vis fati. oblitus itaque imperii patrii, consulumq; edicti, præceps ad id certamẽ agitur, quo vinceret an vinceretur, haud multum interesset. Equitibus cæteris velut ad spectaculum summotis, spacio quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos: & cum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis Metii trans cervicem equi elapsa est. circumactis deinde equis, cũ prior ad iterandum ictũ Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. ad cujus vulneris sensum cum equus priorib⁹ pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmaque innixum, attollentem se gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit, spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra atque inde ad prætorium ad patrem tendit, ignarus fatri futuriq; laus an pœna merita esset. Ut me omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum verè ferrent,

provocatus equestria hæc spolia capta, ex hoste cæso porto. Quod ubi audivit Consul, extemplò filium aversatus, concionem classico advocari jussit, quæ ubi frequens convenit: Quandoquidem, inquit, tu T. Manli neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem, in hostē pugnasti, & quantum in te fuit disciplinā militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti, meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reip. mihi aut mei meorumque obliviscendum sit, nos potius nostro delicto plectemur, quàm resp. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidē cum ingenita charitas liberûm, tum specimen istud virtutis deceptū vana imagine decoris in te movet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda, nec te quidem, siquid in te nostri sanguinis est, recusare censeā, quin displinam militarem culpa tua prolapsam, pœna restituas: I lictor, liga ad palum. Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quàm in se quisque districtā cernentes securim, metu magis quàm modestia quievere. Itaque velut emerso

ab ad-

ab admiratione animo, cum silentio defixi stetissent, repente postquàm cervice cæsa fusus est cruor, tum conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis, neque exsecrationibus parceretur: spoliisque contectum juvenis corpus quantum militaribus studiis funus ullũ concelebrari potest, structo extra vallũ rogo cremaretur; Manlianaque imperia non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.

Astapa urbs.

BEllo Punico secundo, Astarpa urbs erat Carthagnensium semper partis: neque id tam dignum ira erat, quàm quod extra necessitates belli præcipuum in Romanos gerebant odiũ, nec urbẽ aut situ, aut munimento tutam habebant, quæ ferociores iis animos faceret, sed ingenia incolarum latrocinio læta, ut excursiones in finitimũ agrum sociorum populi Romani facerent, impulerant, & vagos milites Romanos, lixasque aut mercatores exciperent. Magnũ etiam comitatum, quia paucis parũ tutum fuerat, transgredientẽ fines positis insidiis circumventum iniquo loco interfecerant. Ad hanc urbem oppugnandam cum admotus exercitus esset, oppidani conscien-

tia scelerum, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, facinus in se ac suos fœdum ac ferum consciscunt. Locum in foro destinant, quò preciosissima rerum suarum congererent. Super eum cumulū conjuges ac liberos considere cū jussissent, ligna circa extruunt, facesq; virgultorum conjiciunt, quinquaginta deinde armatis juvenibus præcipiunt, ut donec incertus eventus pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum, corporumque, quæ cariora fortunis essent, servarent; si rem inclinatam viderent, atque in eo jā esse ut urbs caperetur, scirent, omnes quos euntes in prœlium cernerent, mortem in ipsa pugna abituros, illos se per deos superos inferosque orare, ut memores libertatis quę illo die aut morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nil relinquerēt, in quod sævire iratus hostis posset, ferrum ignemq; in manibus esse, amicæ ac fideles potius ea quæ peritura forent absumerent manus, quàm insultarent superbo ludibrio hostes. His adhortationib⁹ execratio dira adjecta, si quem à proposito spes mollitiave animi flexisset. inde concitato agmine patentibus portis ingenti cū tumultu erumpunt. Neque erat ulla satis firma statio opposita, quia

quia nihil minus quam ut egredi mœnibus auderent, timeri poterat, perpaucæ equitum turmæ levisque armatura repente castris ad ipsum emissa occurrit. Acrior impetu atque animis quàm compositior ullo ordine pugna fuit. Itaque pulsus eques qui primum hosti se obtulerat, terrorem intulit levi armaturæ, pugnatumq; sub ipso vallo foret, ni robur legionũ, perexiguo ad instruendum dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, cum cæsi furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent: dein vetus miles, adversus temerarios impetus pertinax, cæde primorum insequentes suppressit. Conatus paulo post ultro inferre pedem, ut neminem incedere, atq; obstinatos mori in vestigio quemq; suo vidit, patefacta acie (quod ut facere posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua hostium amplexus in orbem, pugnantes ad unum omnes occidit. Atq; hæc tamen hostium iratorum, ac tum maxime dimicantium jure belli in armatos, repugnantesq; edebantur. Fædior alia in urbe trucidatio erat, cum turbam fœminarum puerorumq; imbellem, inermũ, cives sui cæderent, & in succensem rogum semianima pleraq; injicerent cor-

pora,riviq; ſanguinis flammam orientem reſtinguerent. poſtremo ipſi cæde miſeranda ſuorum fatigati, cum armis medio incendio ſe injecerunt.Iam cædi perpetratæ victores Romani ſupervenerunt. Ac primo conſpectu tam fœdæ rei mirabundi parumper,obſtupuerunt.dein cum aurum argentumq; cumulo rerum aliarum interfulgens, aviditate ingenii humani rapere ex igne vellent. correpti alii flamma ſunt,alij ambuſti afflatu vaporis, cum receptus primis, urgente ab tergo ingenti turba,non eſſet.

Scipio Africanus.

POſt expugnationem Carthaginis novæ captiva adducebatur ad Scipionem adulta virgo,adeo eximia forma,ut quacūque incedebat,converteret omnium oculos. Scipio percunctatus patriam parenteſque inter cætera accepit, deſponſatam eā principi Celtiberorum adoleſcenti , cui Allucio nomen erat. Extemplò igitur parentibus ſponſoque accitis ab domo, cum interim audiret deperire eū ſponſæ amore,ubi primū venit, accuratiore eum ſermone,quam parentes alloquitur, Iuvenis, inquit,juvenem appello,quò minus ſit inter nos hujus ſermonis verecundia. Ego,

cum

cum sponsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem; quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim recto & legitimo amore, & non resp. animū nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cujus possum, amori faveo. Fuit sponsa apud me eadem qua apud soceros tuos parentesque suos verecundia: servata tibi est, ut inviolatum, & dignum me teque dari tibi donum posset, hanc mercede unā pro eo munere paciscor: amicus Pop. Rō. sis & si me virum bonum credis esse, quales patrem patruumque meum jam ante hæ gētes norant: scias multos nostri similes in civitate Romana esse: nec ullum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicū malis: cum adolescens simul pudore gaudioque perfusus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocaret ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquā satis facultatis pro suo animo, atque illius erga se merito esset. parentes inde cognatique virginis appellati, qui quoniam gratias sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionem ut id ab se

ab se donum acciperet, cœperunt: haud minorem apud se ejusce rei gratiam futuram affirmantes, quam redditæ inviolatæ foret virginis. Scipio quando tantopere peterent, accepturam se pollicitus, poni ante pedes jussit, vocatoq; ad se Allucio: super dotem, inquit, quam accepturus à socero es, hæc tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque, dimissus domum, implevit populares laudibus & meritis Scipionis.

Annibal.

PVb. Africanum in Ephesina legatione fuisse tradunt, eumque Ephesi collocutum cum Annibale. Eo in sermone, quærenti Africano, quem fuisse maximū imperatorem Annibal crederet, respondisse, Alexandrum Macedonum regem: quòd parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quærenti deinde quem secundū poneret? Pyrrhum dixisse, castra metari primum docuisse: ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse, artem etiàm conciliandi sibi homines eā habuisse, ut Italicæ gentes regis externi,

quam

quam populi Romani tamdiu principis in ea terra, imperiũ esse mallent. Ex sequenti quem tertium duceret, haud dubie semetipsum dixisse, tum risum obortum Scipioni, & subjecisse: quidnam tu diceres, si me vicisses? tum me verò, inquit, & ante Alexandrum & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores esse, & perpexum Punico astu responsum, & assentationis genus Scipionem movisse, quòd è grege se imperatorum velut inæstimabilem secrevisset.

Mors Annibalis.

AD Prusiam regem legatus Flamininus venit, quem suspectum Romanis receptus Annibal & bellũ adversus socios motũ faciebat. Ibi seu quia à Flaminino inter cætera objectum erat Prusiæ, hominem omnium qui viverent infestissimum Po. Rom. apud eum esse; qui patriæ suæ primum, deinde fractis ejus operibus, Antiocho regi auctor belli adversus Po. Rom. fuisset: seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur præsenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi ejus in potestatẽ consilium cepit; à primo colloquio Flaminini milites extemplo ad domum Annibalis custodiendam missi sunt. Semper talem

talem exitũ vitæ ſuæ Annibal proſpexerat animo, & Romanorum inexpiabile odium in ſe cernens, & fide regum nihil ſane confiſus: Pruſiæ verò levitatem etiam expertus erat. Flaminini quoque adventũ velut fatalem ſibi horruerat, ad omnia undique infeſta ut iter ſemper aliquod præparatum fugæ haberet ſeptum, exitus è domo fecerat, & ex iis quoſdam occultos, ne cuſtodia ſepirentur. Sed grave imperium regum nihil inexploratum quod inveſtigari volunt, efficit, totius circuitum domus ita cuſtodiis complexi ſũt, ut nemo inde elabi poſſet. Annibal poſtquam eſt nunciatum milites regios in veſtibulo eſſe, poſtico quod devium maximè atque occultiſſimi exitus erat, fugere conatus, ut id quoque occurſu militum obſeptum ſẽſit, & omnia circa clauſa cuſtodiis diſpoſitis eſſe: venenum quod multo ante præparatum ad tales habebat caſus, popoſcit; Liberemus, inquit, diuturnâ curâ Po. Rõ, quando mortem ſenis expectare longum cenſent, nec magnum nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret. Mores quidem Po. Ro. quantum mutaverit, vel hic dies argumento erit. Horum Patres Pyrrho regi hoſti armato exercitum in Italia habenti, ut à veneno

caveret

caveret prædixerunt: hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt execratus deinde in caput regnumque Prusiæ, & hospitales deos violatæ ab eo fidei testes invocans poculum exhausit. Hic vitæ exitus fuit Annibalis.

Valerius Corvinus.

CVm in agro Pomptino Romani Galliq; stationibus quieti tẽpus tererent, Gallus quidam processit magnitudine atque armis insignis, quatiensque scutum hasta, cum silentium fecisset, provocat per interpretem unum ex Romanis, qui secum ferro discernat. Marcus erat Varelius tribunus militum, adolescens: qui haud indigniorem eo decore se quàm T. Manlium ratus, primum sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito Deorum factum, namque conserenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit, in hostem versus. Quod primo ut augurium cœlo missum lætus accepit tribunus: precatus deinde, si divus, si diva esset, qui sibi præceptum misisset, volens propitius adesset, dictu mirabile, tenuit nonsolum ales captam semel

sedem,

sedem, sed quotiescunque certamen initū est, levans se alis os oculosq; hostis rostro & unguib⁹ appetiit: donec territū prodigii talis visu oculisque simul ac mente turbatū Valerius obtruncat. Corvus è conspectu elatus Orientem petit.

T. Manlius Torquatus.

CUm Galli in Italiam transgressi prope Anienem castra posuissent, & opportunitatem confligendi exspectarent; processit Gallus quidā eximia corporis magnitudine in vacuū, qui in medio erat, pontem, & quantū maxima voce potuit: Quē nunc Roma, inquit, fortissimum virum habet, procedat agendum ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat utra gens bello sit melior. Diu inter primores juvenum Romanorum silentium fuit, cum & abnuere certamen vererentur, & præcipuam sortem periculi petere nollent. Tū T. Manlius L. F. qui patrem à vexatione tribunitia vēdicaverat, ex statione ad dictatorem pergit: Injussu tuo, inquit, imperator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam videam, si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo ferox præsumat hostiū signis, me ex ea familia ortum, quæ Gallorū

agmen

agmen ex rupe Tarpeja dejecit. Tum dictator: Macte virtute, inquit, hac pietate in patrem patriamque T. Manli esto: perge, & nomē Romanum invictum juvantibus diis præsta. Armant inde juvenem æquales, pedestre scutum capit, hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque adversus Gallū stolide lætum, & (quoniam id quoq; memoria dignum antiquis visum est) linguā etiam ab irrisu exerentem, producunt. Recipiunt inde se ad stationem cæteri: & duo in medio armati, spectaculi magis more quàm lege belli destituuntur, nequaquam visu ac specie æstimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste, pictisque & auro celatis refulgens armis, media in altero militaris statura, modicaq; in armis habilibus magis quàm decoris species: non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana, sed pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnē ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Vbi constitere inter duas acies, tot circa mortalium animis spe metuque pendentibus: Gallus velut moles superne imminens projecto læva scuto advenientis arma hostis, vanum cæsim cum ingenti sonitu dejecit ensem, Romanus

nus mucrone surrepto, cum scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit, & in spaciũ ingens ruentem porrexit hostem. jacentis inde corpus ab omni alia vexatione intactum, una torque spoliavit, quem respersum cruore collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos: Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi, laudantes, gratulantesque ad dictatorem perducunt, inter carminum propemodum incondita quædam, militariter jeculantes. Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiam familiæque honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit. Et hercule tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepide castris inde abierit.

Idem alio charactere.

GAllus quidam nudus præter scutum & gladios duos torque atque armillis decoratus processit, qui & viribus & magnitudine, & adolescentia simulque virtute

cæteris

cæteris antistabat. is maxime prœlio cõmoto atque utrisque summo studio pugnantibus, manu significare cœpit, utriq; quiescerent. pugnæ facta pausa est, extemplo silentio facto, cum voce maxima conclamat, si quis secum dimicare vellet, ut prodiret, nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem faciei. deinde Gallus irridere atque linguam exertare, id subito perdolitum est cuidam Tito Manlio, summo genere nato, tantum flagitium civitati accidere, ex tanto exercitu neminem prodire: is, ut dico processit, neque passus est virtutem Romanam ab Gallo turpiter spoliari, scuto pedestri & gladio Hispanico cinctus, contra Gallum constitit, metu magno ea congressio in ipso ponte, utroque exercitu inspectante, facta est, ita ut ante dixi constiterunt; Gallus sua disciplina scuto projecto cantabundus: Manlius animo magis quàm arte cõfisus scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit; dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet. Manlius iterum scutum scuto percutit, atque de loco hominem iterum dejecit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit; dein continuò humerum dexterum eodem congressu incidit,

cidit, neq; recessit usquam donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet, ubi eum evertit, caput præcidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentã sibi in collũ imponit, quo ex facto ipse posterique ejus Torquati sunt cognominati.

Corsici memoria. Ex Mureto.

Hippias apud Platonẽ tanquam de magno quodam & præstanti bono glorietur, posse se quinquaginta nomina semel tantum audita recitare. At hoc nihil est pro ut quæ de se Seneca scribit: *Sed cum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit: inter ea, quæ retuli memoria est, res ex omnibus partibus animi maxime delicata & fragilis, in quam primum senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut nõ tantum ad usum sufficeret sed in miraculum usq; procederet, non nego. Nam duo millia nominũ recitata quo ordine erant dicta referebam, & ab iis qui ad audiendum præceptorem nostrũ convenerant singulos versus à singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo usq; ad primum, recitabam nec ad complectenda tantum quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda quæ acceperat.*

acceperat, Hæc Seneca: quæ ſemper mihi mirabilia, ac prope dixerim incredibilia viſa erant, donec vidi ipſe, quod nunquã credidiſſem. Habitabat Patavii in vicinia mea homo adoleſcens, genere Corſiçus, honeſto ut ferebatur, & credibile erat, apud ſuos loco natus, qui eo venerat ad jus civile diſcendum: quo in ſtudio ita diligẽter & attentè annos aliquot conſumpſerat, ut magna jã eſſet de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem ferè quotidie in ędes meas devexo jam & inclinato ſole, æſtas enim erat: ibique quod ædes ſatis amplæ erant, ſatiſque apricæ, aut ſub dio ambulans, & cum æqualibus ſuis jucundiſſimè colloquens, aut ſaltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, feſſas ſtudiorum laboribus vires honeſtiſſimè reficiebat, rumor erat tenere eum artem memoriæ cujus auxilio multa efficeret, quæ credi, niſi ſpectata, non poſſent, id cũ ad aures meas perlatum eſſet, cupido me inceſſit mirabilia illa & inaudita ſpectandi, ejuſmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus eſſe ſoleo. Viſum eſt igitur quando ipſe domo mea arbitratu ſuo uteretur, hoc ab eo quaſi encœcion exigere, ut quod ſibi commodum foret, præſente me artis ſuæ ſpecimẽn aliquod

daret

daret. Ille nihil gravatus, lubentissimo animo se cum vellem facturum esse respōdit, placuit, statim cum per ipsum mora nō esset, unà omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi, consedimus. Cœpi ego dictare nomina Latina, Græca, Barbara significantia, nihil significantia, tā varia, tam nihil inter se cohærentia, tam multa, ut & egodictando, & puer cui mandatū erat ut ea exciperet scribendo, & cæteri qui aderant, audiendo atq; exspectando fessi jā miris modis essemus omnes: Ipse nuus ex omni numero alacer ac recens, assiduè plura poscebat. Sed cum ego ipse modumaliquē fieri oportere dixissem, abunde mihi satis factum iri, si vel dimidiā partem eorum, quæ dicta erant recitare potuisset: tum ille, fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium exspectatione, tacitus aliquamdiu stetit. Quid verbis opus est? vidi facinus, ut ille ait, mirificissimum. Exorsus loqui, plane omnia eodem ordine, nusquam prope insistens, nusquam hæsitans, nobis stupentibus. reddidit, deinde ab ultimo incipiens, sursum versus pervenit ad primum, rursus ita ut primū, tertium, quintum, ac sic deinceps omnia diceret, quo denique quisque voluerat ordine, sine ullo errore omnia referebat.

Idem

Idem postea cum ei jam familiarior factus essē, sæpe expertus, usq; quaq; verū deprehendi. Ipse mihi aliquando affirmavit, & erat ab omni jactantia alienissimus, se triginta sex millia nominum eo modo recitare posse. Quodq; admirabilius est, ita hærebant omnia in animo ut vel post annū diceret, se quæcunque memoriæ cōmendasset minimo negotio repetiturum. Ego certe post multos dies facto periculo, verū comperi; neque hoc satis. Diversabatur apud me quidam Molinus, patricius Venetus, adolescens optimarum artium studiis mirificè deditus, qui cum se memoria parum firma esse sentiret, oravit hominem uti se artem illam doceret. Vix ostenderat se id velle, cum Corsicus operam ei suam prolixissimè detulit, dictus est locus, dicta hora ad quā quotidie convenirent: nondū sex aut septem dies abierant, cū ille quoq; alter nomina amplius quinquaginta sine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunque alio libuisset, ordine repetebat. Hæc vix ego auderem litteris prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi & res adhuc recens esset, & ejus rei testes haberem.

Historia de Elephantis. Ex Lips.

LUdis quibusdam Tiberio principe duodecim Elephanti theatrum inducti sunt sive Circum, induti floridas & histrionias

 veſtes

vestes. Ac primum ad vocē Magistri dividebantur in diversas Circi partes, inter eundū molli & saltatorio gressu incedētes: iterumque ad eandem vocem coibant & efficiebant saltatorium quendam orbē, sed & flores spargebant & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter & numerosè pulsabāt, & omnia præstabant quæ peritissimi ludiorum. Iam iidem (quod insanum mirum) docti mensas accumbere, cibum potumq; sumere, parcè, modestè, ordine, humanum in modum. Lecti erant humiles, instrati purpura & aulæis, mensæ ad eos vario & dapsili instrumento, disposita pocula aurea, argentea, minuta, grandia, cibi, in lancibus panis, caro, fructus. Ecce ingressi duodecim Elephantes, sex mares, totidem fœminæ: illi togati, hæ stolatæ. Decorè & verecundè in lectis se reclinant, mensam accumbunt, tum signo dato (non enim ante) in mensam promuscides sive manus suas extendunt, summa modestia cibos capiunt, delibant, non voracitas ulla in iis, non aviditas visa, non melioris ve partis appetitio, prærεptio, denique cum bibendum, pateram pueri porrigebant, iique promuscide eandem genialiter hauriebant, & reliquiis vini circumstantes aspergebant, velut cottabum facientes.

Alia.

Alia.

IN Syria Elephas quiſpiã alebatur,ſervus curator additus, quotidie de dimenſo ſubtrahebat,&dimidio belluam malo furtô fraudabat. Fors fuit ut hero præſente cibum daret;& adméſus igitur eſt totũ. Elephas;ut injuriam diu ſibi factã qua poſſet detegeret,accuratè hordei partem ſeparat; dimidium ſibi ſervat,altero repulſo.Alius, cũ rudera & terram magiſter ad explendã menſurã pabulo identidẽ miſceret, fraude fraudẽ hanc ultũ jẽs,in ollam ejus carniũ plenã è foco correptũ cinerẽ injecit.

Alia.

ELephanti cuidã in urbe Cochin ad horam cibus non oblatus.Queritur&barrit.Magiſter excuſat,&vas æneum ejus cibarium oſtendit perfluens & pertuſum. Cauſſam hanc moræ eſſe, quod cibi non ultra tenax,jubet igitur, ſi eſſe velit,ad fabrum ærarium ferat reconcinnandũ. Ille paret,promuſcide aufert,fabro offert. Faber ſive per negligentiã, ſive ludos belluam faciens,infideliter reparat atque obſtipat.Elephas refert.Herus vitium videt, & indignatur;inclamat illũ abſentem, hunc præſentem,denique redire jubet cum illo ipſo vaſe.Facit & fabro querulus impingit. Ille homo ſuavis iterum imponere cona-

tur & admoto malleo claudere rimam simulat, non claudit. Nec tamẽ imponit. Nã ille cautus lebetem resumptum ad flumẽ defert, immergit. & aqua implet periculi faciendi caussa. videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrũ recurrit, intonat magna voce. Confluunt vicini, & inter eos Vicarius regis. Faber blandis verbis demulcet belluam, vasque deniq; sumit, & refringit probe atq; ex fide. Sed ille ne tum quidem fidens, iterum ad flumen & ad haustum. dum contineri aquam videt, vertit se ad adstantes & ostendit, velut testes eos advocans in hoc factum.

Alia.

Miles quispiã in urbe Cochin Elephantum per lasciviam in fronte putamine nucis Indicæ percusserat. Elephantus putamen studiosè tollit, illud atque irã recondit. post dies plusculos in via quapiam publica obambulantẽ militẽ conspicit; accedit, & ex ore putamen promuscide sua acriter in illum conjicit, tum exultabundus abiit, quasi talione illa injuriam probè ultus. Miles alius Elephantẽ in eadem urbe cum rectore obvium habuit, noluit decedere, Elephas suã & rectoris contumeliã id interpretatur, ulcisci tamen à rectorẽ prohibetur. Post dies aliquot in ripa Mangatæ

gatæ fluminis militem fabulantem otiosè repetit. Cum rector nō adesset, corripit illicò hominem, in altum tollit, nec precibus, nec clamore adstantium motus, aliquoties flumine mersit, allevans subinde & demittens. Cumque lusum eum satis diu lusisset, contentus hac vindicta, hominem vitæ suæ jam diffidentem, rectum & illæsum destituit eo ipso loco unde sustulerat.

Alia.

ELephantus quidā in urbe fuit Goa, qui annuo illo & solenni furore correptus catenas abrupit & vincula. Fugientibus omnibus servulus quispiā, qui ulnis infantem dominicū gestabat, in ædes properè irrupit oblitus sarcinæ quā deposuerat in illa trepidatione ante ædes. Elephas adest mortem omnes & obtritum pueri exspectant. Ille contra manu sua leniter attollit, in humile tectum, quod è regione ædium, collocat, respectans curiosè satisne puer illic sine damno. Dein furibundus cursū suum exsequitur. Id datū omnes interpretabantur veteri beneficio; quia mulier earum ædium domina & infantis mater, elephanti transeunti sæpius panem aut fructus obtulerat.

Alia

ERat Antiocho regi elephas, cui (ita enim hominum canumq; exemplo distinguuntur) nomen Ajax. Is dux plerumq; agminis, generosus, celsus, & velut rex in regio illo grege. Evenit ut flumẽ transmittendum esset, renuit infelix, & mala sua sorte Ajax. Pronũnciatum enim illicò à Magistris, principatum ejus fore, qui prior transisset. Intellexit & arripuit Patroclus (& hoc elephanti alteri nomen) fluviumque trãsmisit. Præmio igitur donatus est, phaleris argenteis, quib⁹ mire gaudent, ornatus, & velut in possessione positus principis loci. At Ajax ille propere ab hoc Vlysse circumventus, fatũ etiã qua potest illius veteris exsequitur; & mortẽ ignominiæ preferẽs, inedia se confecit. Præterea in litore vicino urbi Goę tormentum grande æneum commovendum erat. conatur elephas; nõ potest. Instigãte magistro & duos juniores elephãtes ostentante, qui id facerent, ni ipse faceret: iterum iterumque conatur tanto nisu, ut medius illicò creparet.

Alia.

ERat in urbe Cochin elephas, qui operas diurnas præbere solitus ad portũ & res mari-

marinas. Eum forte jam fessum nihilominus urbis ejus præfectus, ut Liburnicam quam commovere cœperat, deduceret porro in mare. Ille abnuere. instare alter multis blandisque verbis, & ad extremũ in gratiã Lusitani regis, ut id vellet orare. Hic (immane dictu) elephas motus, clare hęc duo verba in geminat: HooHoo: quod Malabarum lingua est, volo, volo, ac sine mora navim traxit in mare

Mos Rom. consecrandi Imperatores.

MOs fuit Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis vel successorib⁹ moriuntur. Quiq; eo honore sunt affecti, relati dicuntur inter divos. Est autem tota urbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus, ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quàm similimam fingunt, eamq; in regię vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atq; sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidẽ imago illa ad ęgroti speciẽ pallida recũbit. Circa lectũ vero utrinque magnam partem diei sedent. à lęva quidem senatus omnis vestib⁹ atris amictus, à dextra vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat, harumq; nulla vel aurum gestás, vel orna-

ta monilib⁹ conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus indutæ, mœrentium ſpeciē præbent. Hæc ita per ſeptem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumq; velut ægrum deterius ſe habere ſubinde pronuntiantibus. Dein ubi jam viſus obiiſſe diem, lectū attollunt humeris equeſtris ſenatoriiq; ordinis nobiliſſimi ac lectisſimi juvenes, perq; viā ſacrā in vetus forū deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperiū conſueverant. Utrinque autem gradus quidā ſunt ad ſcalarū ſimilitudinem exſtructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt à nobiliſſimis, atq; patriciis; altera fœminarum illuſtrium, hymnos in defunctum pęanaſq; canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis, tollunt, iterum lectum, atque extra urbem perferunt in Martiū campum, ubi quàm latiſſimè campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula laterib⁹ ęquis aſſurgit, nulla præter quàm lignorum ingentium materia, compactus in tabernaculi formā. Id quidem interius totum eſt aridis fomitib⁹ oppletum; extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis variiſque picturis exornatum. Infra vero alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile, portis januiſque patē-
tibus;

tibus. Tertiumq; item & quartum semper superiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur. Posses ejus ædificii formã comparare turrib⁹ his, quæ portib⁹ imminentes, noctu igne prælato; naves in tutas stationes dirigunt: Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculũ sublato, aromata & suffimenta omnis generis fructus, herbasq; succosq; omneis odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe neq; gens est neq; civitas, neq; qui honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera principis honori deferant. Vbi verò ingens aromatũ acervus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, universis equestris ordinis certa quadam lege ac recursu motuq; pyrrichio, numeroque in urbẽ decurrentibus. Currus item circumaguntur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant omnium ducum Romanorũ, principumque illustrium. Quæ ubi celebrata sunt, facem capit imperii successor, eamq; tabernaculo admovet. Tum ceteri omnes undique ignem subjiciunt cunctaque illicò fomitibus illis aridis; odoramentisq; referta, igni valido corripiuntur Mox ab extremo minimoq; tabernaculo, tanquã

è faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igni, aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam principis animam deferre.

Turannius.

TVrannius fuit exactæ diligentiæ ſenex: qui poſt annum nonageſimum cũ vacationẽ procurationis à Cæſare ultrò accepiſſet, cõponi ſe in lecto & velut exanimẽ à circumſtante familia plangi juſſit. Lugebat domus otium domini ſenis nec finivit ante triſtitiam, quàm labor ille ſuus reſtitutus eſt. Simile quiddam narratur de mercatore quodam, cæteroqui viro bono, ſed qui tota vita nihil unquã vacui temporis à litibus forenſibus habuerit: capularis etjam ſenex fora omnia quotidie pervagaretur. Quod cum ad Franciſcum primum Galliarum regem, elegantiſſimi hominem ingenii, perlatũ eſſet, quietis ſe aliquid miſero homini confecturum, & cum omnib⁹, tum qui quid ab ipſo peteret, tum à quibus ipſe peteret, bonis & æquis conditionibus tranſacturũ recipit. At infelix ſenex ad regem accurrit provolutuſq; ad illius genua, ſupplex orat, ut ſibi una ſaltẽ aut altera lis, in qua ſe exerceret, relinqueretur: vitam ſibi adempta illa exercitationẽ injucundã & inſuavem fore. Riſit rex: & homini qui quieſcere niſi inquietus non poſſet, lites ſu-

as, ubi se arbitratu suo exerceret, reliquit.

Polydamas athleta.

POlydamas athleta tempestate speluncã subire coactus, nimio& subito incursu aquę labefacta ea ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquã humeris suis totius ruinę molẽ sustẽtaturus. Sed pondere omni corpore humano potentiore pressus; imbris caussa petitam latebram dementis fati sepulcrũ habuit. Potest hic & alii tales præbere documentum, nimio robore membrorum vigorẽ mentis hebescere, quasi abnuente natura utriusque boni largitionem: ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse & sapientissimum.

Philemon.

PHilemonem vis risus immoderati abstulit. Paratas ei ficus, atq; in conspectu positas asello consumẽte, puerum ut illum abigeret inclamavit: qui cum jam comestis omnibus supervenisset; Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cacchinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægravavit.

Pindarus.

PIndarus cum in gymnasio super gremiũ pueri, quo unicè delectabatur, capite po-

ſito,quieti ſe dediſſet, non prius deceſſiſſe cognitus eſt,quàm gymnaſiarcha claudere já eum locũ volente, nequicquam excitaretur.Cui quidẽ ſumma benignitate Numinis crediderim & tantũ poëticæ facundię &tam placidũ vitæ finem attributum.

Archimedes.

CAptis Syracuſis,Marcellus machinationibus Archimedis multũ ac diu victoriam ſuam inhibitam ſenſerat;eximia tamẽ hominis prudentia delectatus,ut capiti illius parceretur edixit:pæne tantũ gloriæ inArchimede ſervato,quantum in oppreſſis Syracuſis reponens. At is dũ animo atq; oculis in terrã defixis formas deſcribit, militi qui prædandi gratia domum irruperat, ſtrictoque ſuper caput gladio, quiſnam eſſet interrogabat:propter nimiã cupiditatem inveſtigandi quod requirebat, nomen ſuum indicare non potuit,ſed protracto manibus pulvere; Noli,inquit, obſecro,iſtum diſturbare:ac perinde quaſi negligens imperii victoris obtruncatus, ſanguine ſuo artis ſuæ lineamenta confudit.Quo accidit, ut propter idem ſtudium modo donaretur vita,modo ſpoliaretur.

Carneades.

CArneades laborioſus &diuturnus ſapiẽtiæ miles, ſiquidẽ nonaginta expletis

annis, idē illi vivendi ac philosophandi finis fuit, ita se mirificum doctrinę operib⁹ addixerat, ut cum cibi capiendi caussa, recubuisset, cogitationibus inhærens, manū ad mensam porrigere oblivisceretur. Sed cum Melissa, quam uxoris loco habebat, tēperato inter studia nō interpellandi, sed inediç succurrēdi officio, dextram suā necessariis usib⁹ aptare cōpulit. Ergo animo tantummodo vita fruebatur, corpore verò quasi alieno & supervacuo circūdatus erat.

Q. Metellus.

QVint. Metellus cum pro consule bellū in Hispania adversus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam caput ejus gētis, viribus expugnare nō posset; intra pectus suum diu multumq; consiliis agitatis, viam repetit qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat. Modo hos obsidebat montes, paullo post ad illos transgediebatur. Cum interim tam suis omnibus, quàm ipsis hostibus ignota erat caussa inopinatæ ejus ac subitæ fluctuationis. Interrogatus quoq; à quodam amicissimo sibi: quid ita sparsū & incertum militiæ genus sequeretur: Absiste, inquit, ista quærere: nam si hujus consilii mei interiorem tunicā consciam,

sensero

ſenſero, continuò eam cremari jubebo. Poſtquam vero & exercitum ſuum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicavit; cum alio curſum direxiſſet, ſubito ad Contrebiam reflexit eamque inopinatam & attonitam oppreſſit.

Romani.

CVm Vrbe capta Galli Capitolium obſiderent, ſolamq; potiendi ejus ſpem in fame obſeſſorum repoſitã animadverterẽt, perquàm callido genere conſilii, unico perſeverantiæ irritamento, victores ſpoliaverunt. Panes enim complurib⁹ è locis jacere cœperunt. Quo ſpectaculo obſtupefactos infinitamque frumenti abundantiam Romanis ſupereſſe credentes, ad pactionẽ omittendæ obſidionis compulerunt.

Annibal ſuperior.

ANnibal ſuperior à Conſule Duillio prœlio navali victus, timenſq; claſſis amiſſę pænas dare, offenſã aſtutia mire avertit. Nam ex illa infelici pugna priuſquã cladis nuntius domum perveniret, quendam ex amicis compoſitum & ornatum Carthaginem miſit. Qui poſtquam civitatis ejus curiam intravit: Conſulit, inquit, vos Annibal, cum dux Romanorum magnas ſecum maritimas trahens copias ad ve-

 nerit,

nerit, an cum eo confligere debeat. Acclamavit universus Senatus, non esse dubium quin oporteret, tum ille; Conflixit, inquit, & superatus est. Ita liberum iis non reliquit, id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse judicaverant.

Demosthenes.

DEmosthenis astutia mirifice cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, ut illam simul utrisque redderet. Quorum alter interjecto tempore tanquam mortuo socio squalore obsitus, decepta ea omnes nummos abstulit. Supervenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera pariter & pecuniæ & defensionis penuria; jamq; de laqueo & suspendio cogitabat, sed opportunè ei Demosthenes patronus adfulsit, qui ut in advocationem venit; Mulier, inquit, parata est depositi se fide solvere, sed nisi, sociũ adduxeris, id facere non potest, quoniam ut ipse vociferaris, hæc dicta est lex: ne pecunia alteri sine altero numeretur.

Sertorius.

SErtorius corporis robore atq; animi cõsilio parem naturę indulgentiam expertus

tus, proſcriptione Sullana dux Luſitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non poſſet, ne cum Romanorum univerſa acie confligere vellet, vafro conſilio ad ſuam ſententiam perduxit. Duos enim in conſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſſimum, alterum infirmiſſimū; ac deinde validi caudam ab imbecillo ſene paullatim carpi; infirmi à juvene eximiarum virium univerſam convelli juſſit. Obtemperatum imperio eſt. Sed cū adoleſcentis dextera irrito ſe labore fatigaret ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Tunc barbarę concioni, quorſum ea res tenderet cognoſcere cupienti, ſubjecit: Equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediēs opprimere poſſit: univerſum conatus proſternere, celerius tradiderit victoriam quàm occupaverit. Ita gens barbara, aſpera & regi difficilis, in exitū ſuū ruens, quā utilitatē aurib⁹ reſpuerat, oculis prævidit.

Aglaus, Gyges.

CVm Gyges regno Lydiæ armis & divitiis abundantiſſimo inflatus Apollinem Pythiū ſciſcitatū veniſſet, an aliquis mortaliumq́ ſe eſſet felicior; Deus ex abdito ſacrarii ſpecu voce miſſa, Aglaū Sophidiū ei prætulit. Is erat Arcadū pauperrimus, ſed

ætate jã senior; terminos agelli sui nũquã excesserat, parvuli ruris fructib⁹ contentus. Verum profecto beatæ vitæ finem Apollo, non adumbratum oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolẽter fulgere fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitatẽ ridens tugurium, quàm tristem curis, & sollicitudinibus aulam: paucasque glebas pavoris expertes, quàm pinguissima Lydię arva metu referta: & unum aut alterum jugũ boum facilis tutelæ, quàm exercitus & arma & equitatum voracibus impensis onerosũ: & usus necessarii horreolum nulli nimis appetendum, quàm thesauros omniũ insidiis & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dũ astipulatorem vanæ opinionis deũ habere concupiscit, ubinam solida & secura esset felicitas, didicit.

Dionysius.

Dionysius cũ hæreditatis nomine à patre Syracusanorum, ac penè totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum Dominus, exercituũ dux, rector classium, equitatuum potens; propter inopiam litteras puerulos Corinthi docuit. Eodemq; tempore tanta mutatione majores natu ne quis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno monuit.

nuit. Caduca nimium hæc & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis sunt, quę vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicib⁹ consistunt; sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari neque dici debent bona, quæ ut inflictorum malorū amaritudine desiderium sui duplicent, propensiore favore delinitos majore postea malorum cumulo opprimere solent.

Polycrates.

AD invidiam usque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit, nec sine caussa. Omnes enim conatus ejus placido excipiebantur itinere: spes certū cupitæ rei fructū apprehendebant; vota nuncupantur simul & solvebantur; velle ac posse in æquo positum erat: semel duntaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum; tunc cū admodū gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit: quē tamen continuo recuperavit, capto pisce qui eum devoraverat. Sed hunc felicitatis

semper

ſemper plenis velis proſperum curſũ ſervare nõ potuit. Comprehenſum enim Orontes Darii regis præfectus in Micalenſis montis excelſiſſimo vertice cruci affixit. E qua putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra; atq; illam lævam; cui Neptunus annulũ piſcatoris manu reſtituerat ſitu marcidam Samos amara ſervitute, aliquandiu preſſa liberis ac lætis oculis aſpexit.

Polemo.

PErditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemo, neq; illecebris tantummodo, ſed etiã ipſa infamia gaudens; cum è convivio nõ poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque repetens, Xenocratis philoſophi patentẽ januam vidiſſet; vino gravis, unguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorũ hominum ſcholam ejus intravit: nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam ut clariſſimum eloquium & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſcivijs eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultũ in eodẽ habitu continuit, omiſſiſq; de quib' diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemo, primum coronam

nam capite detractam projecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

Anus quædam.

SEnectutis ultimæ quædam Syracusanis omnibus Dionysii tyrani exitum propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera votis expetentibus, sola quotidie matutinos deos, ut incolumis ac sibi superstes esset orabat. Quod ubi is cognovit, indebitam sibi admiratus benevolentiam, accersit eam, &, quid ita hoc aut quo suo merito, faceret, interrogavit. Tum illa; certa est, inquit, ratio propositi mei. Puella enim cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. quo interfecto, tetrior arcem occupavit. Ejus quoq; finiri dominationem magni æstimabam. tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaq; timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in tuum locũ succedat, caput meum pro tua salute devoveo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

Sequun-

Sequuntur Narratiunculæ quædam supra etiam positæ.

Milo Crotoniates.

MIlo Crotoniates, cũ iter faciens quercũ in agro cuneis adactis fissam vidisset; fretus viribus accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

Demosthenes.

DEmosthenes, cujus commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientes animo oboritur cum inter initia juventæ, artis quam affectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnavit, ut ea à nullo expressius efferretur. Deinde propter nimiam exilitatem acerbam auditu vocẽ suam exercitatione continua ad maturum & gratum auribus sonum perduxit. Lateris etiã infirmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, à labore mutuatus est. Multos enim versus uno impetu spiritus complectebatur, eosq; adversa loca celeri gradu scandens pronuntiabat, Ac vadosis littoribus insistens declamati-

mationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, ut ad fremitum concitatarum concionum patientia duratis auribus uteretur. Fertur quoque ori insertis calculis, multum ac diu loqui solitus, quo vacuum promptius esset & resolutius. Præliatus est contra rerum naturam, & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.

Bias.

BIas, cum patriam ejus Prienē hostes invasissent, omnibus, quos modo sævitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fugientibus interrogatus, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret. Ego verò, inquit, bona mea mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa non mortalium manibus labefactari queunt: & ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt.

Antius Restio.

ANtius Restio proscriptus à triumviris cū omnes domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quàm maximè

ximè poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cujus furtivum egressum servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis ac vestigia huc atque illuc errantia benevolo studio subsecutus lateri voluntarius comes adrepsit. Quo quidam tam exquisito, tamq; ancipiti officio perfectissimū spectatæ pietatis cumulum expleverat: hìs enim, quorū felicior status fuerat in domo, lucro intentis, ipse, cum nihil aliud quam umbra & imago suppliciorum suorum esset, maximum sibi emolumentum ejus, à quo tàm graviter punitus erat, salutem judicāvit. cumq; abunde foret iram remittere, adjecit etiam caritatem: nec solum hactenus benevolētia processit, sed in eo cōservando mira quoque arte usus est. Nam ut sensit cupidos sanguinis milites supervenire, amoto domino rogū extruxit, eique egentem à se comprehensum & otiosum senē superjecit. Interrogantibus deinde militib⁹, ubi nam esset Antius; manum rogo intentans ibi illum datis crudelitatis piaculis uri respondit. Quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides: quo evenit ut Antius statum quærendæ incolumitatis hac ratione assequeretur.

Filia.

Filia.

SAnguinis ingenui mulierem prætor apud Tribunal suum capitali crimine damnatum, triumviro in carcere necandam tradidit. Quo receptam, is qui custodiæ præerat misericordia motus, nō protinus strangulavit; aditum quoq; ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit: existimans futurum ut inedia consumeretur. Cum autem jam dies plures intercederent, secum ipse quærens quidnam esset, quod tamdiu sustētaretur, curiosius observatâ filiâ, animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso trium virū, à triviro ad prætorem, à prætore ad consilium judicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Idem de pietate Perûs traditur, quæ patrem suum Conona consimili fortuna adfectum, parique custodiæ traditum jam ultimæ senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit.

FINIS.

Ad
11 66629



